B. N. C
FIRENZE
1 0 8 6
5

1086.5

Digitized by Google

AI

RUTGERI HERMANNIDAE
J. U. D.

Juſtiſſima ad Publicum

QUERELA

De injurioſa prorſus ratione
qua ſecum egerunt

ERASMUS REGIUS
POËTA LAUREATUS,

Et alter quidam homo anonymus ; ut & ſimul

CARMINIS SUI LATINI
Acerbiſſime ab iiſdem nuperrime exerciti, modeſta

DEFENSIO.

ANNO 1696.

1086.5

VAlde ſignanter dictum eſt a S. Ambroſio L. 3. de Off. *Sermones proferamus libra juſtitiae examinatos: ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus: temperantia cordis habeat munditiam, juſtitia miſericordiam prudentia pacem, fortitudo manſuetudinem.* Quod ſapientiſſimum effatum beati Patris ſi aliquando ruminarent cum dentibus ſui cordis, & deinde ex ventriculo ſani intellectus mitterent in omaſum ſapientiae multi filii hujus mundi, (ne dicam tenebrarum) profecto multo melius iret cum rebus humanis: & eſſet in ratione ſtudiorum humanitatis tam tranquillum, quam mare eſt olim, cum ibi alcedo pullos educit ſuos. Unus explicaret libros Ciceronis de Oratore: alter legeret Spartianum cum notis variorum: alter ſcriberet jucundam elegiam victoriae Namurcenſis: alter flebiliter ſibilando lamentaretur ſuper bombardatione pulcrae urbis Bruxellae, ſic lacrimabiliter ruinatae a Mareſchallo Villaregio, cui diabolus retribuat ſecundum magnitudinem iniquitatis ſuae, in longitudine, latitudine, & extenſivitate.

At nunc (proh dolor) *ſerpentum major concordia: parcit*
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exſpiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: ſaevis inter ſe convenit urſis.

ſicut luculenter notatum eſt in Florilegio Langii p. 342. At nunc, inquam, & ſuſpirando iterum repeto, at nunc ipſi illi qui laude modeſtiae ac pietatis debebant praelucere aliis in hoc vado fallacis vitae, ſicuti brandarii in Vlielandia, mutuis ſeſe duellis conficiunt, cum magno ſcandalo Academiarum & illuſtrium Scholarum. Nunc unus Profeſſor alterum Profeſſorem injuriando & conviciando, totum mundum in partes trahit, non minus contentioſe quam factum eſt a Venere ac Junone in decimo libro Aeneidos, ſuper proceſſu Aeneae & Turni de dividenda Lavinia regis Latini filia. Neque conſiſtit hic turbo irarum intra ſola ſubſellia D. D. Profeſſorum: ſed & Conrectores hac foeda tem-

50) & videat an non eſt ſibi conducibilius ac magis proficuum, ſervare fraternitatem cathedralitiam & mutuam pacem. nam mehercule nihil eſt verius iſto verſu Platonis in libro de Moribus,

Candida pax homines, trux decet ira feras.

& valde pulchre modulavit Silius Italicus L. 11.

pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem
Et cives ſervare potens.

& notanter dicit *cives*, id eſt, Profeſſores earundem artium; nempe Eloquentiae, Hiſtoriarum, & linguae Graecae. Si tamen hic, tanquam violentus aliquis tribunus, intercedit Reputatio Politica, immurmurando, Egóne ut patiar impune mihi inſultare hunc illepidum hominem, qui me laeſit prior? Non patiar, non feram, non ſinam.

Ut ne tegam ſpurco Damae latus? haud ita Trojae
Me geſſi, certans ſemper melioribus.

Si, inquam, Reputatio Politica (quae re vera nihil eſt aliud quam phantaſma valdopere nocentivum) obſtabit quo minus coëant in foedera dextrae: quid tandem rei eſſe dicam, cur homines infeliciter curioſi, & quibus hic nihil vel ſeritur vel metitur, ſeſe immiſcent rebus tamarduis, quae multum ſuperant ſphaeram ipſorum activitatis? poterat aliquis reſpondere, dicendo: Domine Rutgere, etiam ad te nihil pertinet

De cute quid faciant ille vel ille ſua.

Sed ego viciſſim reſpondere poſſum, replicando: o Domine Aliquis, multum ad me importat quid agant hodie iſti Myſorum poſtremiſſimi. nam veſtra Dominatio debet ſcire, ſi pla-

cet, quod poſt inceptas a Clariſſimo D. Cajo Valerio Accincto lites, ego obruor quotidie paſquillis eam rem concernentibus, nunc in Belgico, nunc in Latino Leidenſi; qui dicuntur venire hic Dordraco, iſte Haga, ille Roterodamo. & veniunt omnes per poſtam ordinariam; ſic quod oportet ſolvere pro unoquoque pasquillo tres ſtuferos, quod non eſt exiguum in ſeptimana. ſane melius id impendi poterat εἰς ἄρτους pro me & pro mea tenui familia. Addite nunc, quod eorum plurimi vix ſunt digni ut iis homo reputatioſus tergeat ſordes fundamenti ſui, honeſte loquendo. Et tamen potuiſſem concoquere tales ac tantas injurias, quas mihi active imponunt juvenes ribaldi, & ego paſſive recipio, ſine ullo meo merito: niſi planiſſime perſpicerem id agi, ut me quoque includant ludo ingratiſſimo, & cogar quotidie calamum ſtringere tanquam unus novelliſta, fiendo ego ipſe acceſſio ſtultitiae alienae. Nam, ecce, quid non facit diabolus? cum nuper Clariſſimus Dominus Jacobus Gronovius edidiſſet Pomponium Melam recenſitum ab ſe noviter, eumque illuſtraſſet Notis ſupra ſortem ingenii humani eruditis, adjecto etiam veterum nummorum theſauro inſigni; ego nolui deeſſe officio meo erga Virum immortaliter bene de me meisque ſtudiis meritum,

Quem nunc Fama levat terra ſublimis, & a ſe
Nata coronatis Muſa triumphat equis.

igitur compilavi unum modicum dictamen metrificale, decantando laudes ſummi Viri, & celebrando etiam per occaſionem ceteras lucubrationes, quae prodierunt ex ſuo perſpicaciſſimo cerebro, quod eſt arx hodie & capitolium omnis doctrinae elegantis & bellae litteraturae, ipſe autem exiſtit unicus litterator,

Summus grammaticus, bonus poëta,
Felix hiſtoricus Latinograecus,
Atque originis Romuli repertor.

Verum enimvero ſatis infeliciter expetivit iſte mihi labor. nam

nam exortus eſt ſtatim nebulo, ſive homo incognitus, & nebulae ſimilis, qui cum poſta Dordracena miſit mihi unam litteram

Majorem quam ſint duo Caeſaris Anticatones:

ſed non ſignatam cum ſuo nomine; & valde injurioſe ſcriptam, cum terminis & realiter & perſonaliter ſcandaloſis, ita quod cogitabam proſilire extra meam pellem prae nimia iracundia & bile ſuperabundante: nam quid facerem tandem, aut quo meam ipſius verterem perſonam, ſi nullus appareret antiſophiſta cum quo poſſem experiri meas vires? Si juſſiſſem imprimi epiſtolam ſine nomine; vos dixiſſetis, Domine Aliquis, quod ego ipſe illam compilaveram, ut deciperem mundum, & fingerem mihi unum adverſarium in aëre. qualiter factum eſt nuper cum ſex ultimis verſiculis egregiiſſimi carminis, quod incipit *Die morio*. Ergo igitur faciebam prandium meum in pane tribulationis & in cereviſia anguſtiarum, quod debebam premere tantam amaritudinem contumeliarum intra ſepta mei cordis, & quod videbam quam impie quamque proditorie interpretaretur meam ſinceriſſimam devotionem contra D. Gronovium τὸν πάνυ homo nefarius, homo inimicus Dei, homo peſtiferiſſimus totius generis humani, homo hominum lupus. Vix tribus diebus poſt, venit Haga (aut certe cum poſta Hagienſi) quiddam quaſi faſciculus, cum carmine quaſi elegiaco hominis cujuſdam quaſi poëtae laureati, nominati quaſi Eraſmus Regius. habebat autem hunc quaſi titulum, *in Rutgerum Hermannidem, ineptum* V. CL. *Jacobi Gronovii laudatorem.* o coelum, o terra, quid ego video?

Ecce, quid audio? mente vel haurio? ſomnia vana?
Non ea ſomnia: vera ſed omnia, & omnia plana.

Ergo ego, Rutgerus Hermannides qui hactenus cluebam, fama integra, ſanis ſenſibus, (niſi quando hyems apportabat pituitam) nunc factus ſum *profanus? maculoſus? laboſus? barbarus? illatinus? verſificator cacatae chartae?* nam talibus me epithetis con-

condecorat iſte poëta laureatus, qui debebat potius urticis coronari:

nimirum hoc die
Uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.

Verum quoniam iſtud carminis quodcunque eſt, impreſſum eſt, & pendet venale apud bibliopolas, & legitur paſſim a pueris cirratis in coffihuſibus ac tabernis; fruſtra fuerit omnis mea humilitudo & complacentia in exorando hoſte tam fero. & nemo poteſt ſibi conſulere in longitudinem ſuper tenenda pace, niſi id pariter voluerit ſuus vicinus malus. itaque quoniam invitus trahor ad bellum, ad veſtram diſcretionem confugio, o aequiſſime Domine Publice, cui nemo iniquus facile imponet conſpicilla ſuper naſum. Vos dijudicabitis ſecundum Juſtiſſimam menſuram aequitatis veſtrae: nam vos eſtis ille ſupremus arbiter, qui in veſtro tribunali infallibiliter deciditis ſuper bonitate vel malitate ſcripturarum quae ab ingenii ubertate proficiſcuntur, quales ſunt praecipue compilationes poëticaliter in artem rhetoricam redactae. Et ſimul vobiſcum pariter, o clementiſſime Domine Publice, imploro Clariſſimi Domini Jacobi Gronovii

Judicium ſubtile videndis artibus iſtis.

Cujus ego Herois calculo vel ſtare volo, vel cadere. neque jam recuſo, ſi minus ſatisfecero ad cavillationes, non Raphaëlis Fabretti, aut Iſaaci Voſſii, ſed vero Eraſmi Regii poëtae laureati, quin ſtatim & ilico atque extemplo

Merdis caput inquiner album
Infantum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Natio tota poëtarum quae viſitur uſquam.

Non, inquam, recuſo, ſi Celeberrimus D. Gronovius rigoroſe & de facto condemnaverit hanc meam modeſtam defenſionem, & ſi ipſe male ſtetero in diſputando contra hunc arietatorem

torem pigmentatum veritatis poëticae, quo minus in tali caſu mea Carmina ab hoc ipſo puncto temporis uſque ad finem hujus temporalis mundi

Non ſint carmina, ſed cacationes,
Quales in patriis facit ſimetis
Viſulitana Venus, vel Harlemenſis
Cuſtos aeditimus crepace roſtro.

itaque, quod felix & fortunatum ſit reip. literariae, cum faventibus Muſis & cum bono appetitu, videamus quid apportet novi criminis hic falſus truffator, & penſum noſtrum aggrediamur alacriter; ſicuti ſcriptum eſt apud Orpheum in Hymnis,

Nos humiles famulique tui data penſa trahemus.

Tamen enimvero antequam id faciamus, cum induſtrioſitate competente inquirendum erit de veritabili Promotheo iſtarum famoſarum maledictionum: ne nobis itidem accidat, quod in his nuperrimis diebus currentis menſis arrivatum eſt certo cuidam Domino Juveni viro, valdopere congruo in ſtudiis Latinalibus & Helleniſticalibus, & plurimum zeloſo pro ſua reputatione, ita quod etiam ſuum ipſius Doctorem proprium cum auribus traxerit tanquam unum lupum, & peſſimis modis mulcaverit: nam cum iſte praelibatus D. Juvenis vir videre ſe crediſiſſet, quod ſuus honor erat attacatus in hoc ipſo meo carmine; (quanquam diabolus me auferat, ſi ego ſcivi quod mentionatus D. Juvenis vir unquam prodiit ex utero ſuae Dominae matris in hanc vallem lacrymarum) ſtatim ipſe prae nimia ferviditate zeloſitatis arripuit calamum, & compilavit unam epiſtolam

Doctam, Jupiter! & nimis diſertam,
Prae qua mattya nec velim Deorum,
Nec quicquid roſea decora dextra
Invergit calathis Juventa ſacris.

adeo ubique mulſum loquitur, & placentas, & artocreas, & bonum vinum cos. ſed quoniam hoc affrontoſum dedecus (veluti ipſius erat phantaſia) ulciſci voluit cum plenaria ſatisfactione ſuae eruditionis reſpective ſumtae; idcirco factum fuit quod minus feliciter rem geſſit ſuam; tractando quaeſtionem propopoſitam perſonaliter, quae debebat realiter tractari; & ſumendo unam perſonam pro altera, quod eſt adhuc decies pejus & deteriorabilius. utinam iſte bonus D. Juvenis vir cogitaſſet in capitolio ſuo, quod canis feſtinans caecos parit catulos! utinam non dediſſet hanc confuſionem & contritionem ſcandaliſicam ſuae piae matri, (quod pro nunc ad anatomiſtas nihil pertinet) & ſuo pio D. Patri, qui vellent bene pro multis corbibus vitrorum Heilbrunnenſium quod non eſſet arrivatus unus tantus error judicii in chariſſima perſona ſui dilectiſſimi filii! nam debetis ſcire, quod praeallegatus D. Juvenis vir ſtát pro nunc in fieri unum ſubjectum proponentabile, ita quod mox poterit creari in oratorem concionalem: & tamen verum eſt quod dicit Cato puerorum:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

Tale quid ne & mihi contingat (homo enim ſum, & praeterea magnus peccator) providendum erit cum maxime pro mea parte virili. quod cum dico, cavete hic accipiatis meam phraſin, quaſi eſſet hauſta ex Priapejis, quae ſolent imprimi cum Petronio, vel cum operibus Virgilii. volui dicere, quod omni ope nitendum eſt mihi, ne infortunabiliter decipiar in indagando & expiſcando ſcriptore genuali chartae tam monſtroſiter infamiterque calumnioſae. id adeo mihi in mentem venit, propterea quod multi amici mei, viri diſcreti & ambulantes in viis juſtorum, habebant ſuſpicacitatem quod veritabilis author hujus cartabellae erat antiquus Jens, reverendus parens ſive genitor Praeſtantiſſimi Viri D. Joannis Jenſii. Dicebant autem pro rationabili cauſa ſuae credulitatis ſive ſuſpicionis, quod praelibatus antiquus Jens ibat valde ſaepenumero Roterodamum Dordraco, portando ſecum in una exigua valiſa

liſa multos faſciculos epiſtolarum, aut chartarum complicatarum ſic quaſi ſunt epiſtolae miſſionales: & quod vadebat nunc ad Hagienſem poſthuſam, nunc ad unam alteram, nunc rurſus ad unam aliam, quaſi unus groſſus negotiator vel navicularius Livornenſis, qui gradiuntur ſemper murmurando intra dentes ſuos & inſpiciendo ſuas litteras cambionales. Addebant, quod praedictus antiquus Jens erat rationabiliter bene verſatus in materno Belgico, & in Latino Leidenſi, ita quod ſteterat olim per totum biduum ſolus in concha ſine praeſide, diſputando quodlibetice in philoſophia & in medicina, tanquam unus validus Magiſter Noſter. Concludebant finaliter per unum ſyllogiſmum in Cameſtres, quod erat grandopere veroſimile quod haec ipſa elegia infamatoria eſſet nata in cerebello praementionati antiqui Jens; conſideratò quod Dominus ſuus filius Vir Praeſtantiſſimus poterat aliquantulum juvare ſuum Dominum genitorem, ſicubi ipſe non haberet ſatis fixum in proſodia Colemanni, vel in epithetis Graecis Dinneri, aut Latiniſticis Raviſii Textoris, aut in Janua Comenii. Et fateor quod primo inclinabat animus ad credendum aliquid ſiniſterius de bono antiquo Jens: quod nunc non vellem feciſſe pro centum quinquaginta florenis, etiamſi rationes ſupra allegatae videbantur ſic ſatis ſpecioſiter creduloſae. nam, ut dixit notabiliter Julius de Celſis in Proceſſu Sagarum, *haud unquam recte faciet, qui cito credet:* & Gulielmus Aremoricus in Speculo Sapientiae L. 42.

Nec cito credideris: quantum cito credere laedat
Exemplum vobis non leve Procris erit.

quo loco narrat unam flebiliſſimam & querimonioſiſſimam hiſtoriam de Comitiſſa Genoveva, quae fuit filia Pandionis regis Thraciae, uxor vero Magni Tamerlani. His ego motus exemplis & praeceptis virorum ſapientium, ſuſtinui pauliſper impetum aſſenſionis, & dixi in corde meo: Nolite credere, Domine Rutgere, quod honeſtiſſimus vir antiquus Jens voluit diffamare veſtram reputationem cum uno paſquillo tam foetido ac tam merdoſo. Ecce, ego convincam vos cum aliquot

 argu-

argumentis in quarta figura. primo, antiquus Jens nunquam facit elegias Latinales; quia hoc eſt extra ſuum officium medici & philoſophi. ſicut neque Themiſon compilabat elegias, neque Diogenes cynicus, neque

Menippus, ille nobilis quondam canis,

ſecundo, antiquus Jens nunquam uſurpat nomen alienum: ſed quando tranſmittit ſua componimenta rythmicalia in urbes vicinas, id ſolet facere ſine lux, ſine crux, ſine ullus titulus ſubſignatus, praeter vox AMEN. tertio, antiquus Jens non eſt poëta laureatus, ſed unus Doctor promotus cum cappa & liripipio in alma Univerſitate Lugduno-Batava. quarto; antiquus Jens non habitat in Haga Comitatenſi, verum in urbe Dordrechto apud ſuum Dominum filium Virum praeſtantiſſimum: ſicuti ſcriptum legitur in poëta, *Eſt mihi namque domi pater.* quamquam illud, quod ſequitur, aliorſum accipi debet, *eſt injuſta noverca.* quinto denique & ultimo, antiquus Jens non ſolet hominibus eruditis exprobrare ſua vitia ſive corporalia ſive ſpiritalia, ut faciat ipſis vae: ſed eſt naturae mollis, tanquam juncus paluſtris. Et hoc evidenter apparet in ſuo Domino filio, qui tam modeſte tamque ſubmiſſive praeſumit de ſua ipſius perſona, deque ſuis virtutibus tam ethicalibus quam doctrinaliter acquiſitis: ſecundum illud Pindari,

Mites naſcuntur mitibus: & bonis
Eſt in poëtis egregia patrum
Natura, nec virtus paternos
Degenerat juvenilis ignes.

Quocirca, Domine Rutgere, ſolvite corde metum, & bannitate de capite veſtro omnes cogitationes pravas, quae vadunt ad deteriorandum honorem proximi veſtri. Ita faciam mehercule: & eſt bonum conſilium quod mihi datis de non attacando unam perſonam innocentem. Adesdum ergo tu, Eraſme Regie, poëta laureate, ut paulolum inter nos confabulemur in ſobrietate ſpiritus & honeſtitate cordis. Ac primo qui-

quidem, non placet mihi iſtud nomen tuum *Eraſmus*; quod tibi videntur indidiſſe parentes tui ad deſignandum quod tu fores, ubi vir eſſes factus, unus novus Lucianus, qualis fuit olim Eraſmus Roterodamus. unde etiam ipſe nunc audit in Camera Bibliothecali Europeana *de Rotterdamſche ſpreeuw*. & celebris poëta in quadam Univerſitate Germaniae hoc ei epitaphium fabricavit, quando moriebatur:

Hic jacet Eraſmus, fuerat qui ridiculus mus:
Rodere qui ſolitus, roditur a vermibus.

ſed bene ſubtilius eſt illud Martialis Britannici, ſive Joannis Oweni, poëtae ſine pari:

Cum verbum ſit ERAS, MUS *nomen; quid ſit* ERASMUS,
Ingenio lector colligat ipſe ſuo.

Ecce, Domine poëta laureate, hic habemus tuum nomen; quod ita ſcribi debet, ERAS MUS REGIUS. & quidem propter intelligentiam hieroglyphicabilem, quae taliter exponi debet: *Eras*, i. e. admodum nuper fuiſti (nam τὸ *eras* in praeterito imperfecto eſt aliquantillum minus quam τὸ *fuiſti* in praeterito perfecto: ſicut dicitur, *certe ſanus eras*) *mus*, i. e. adulator menſarius, vel aſſecla patinarius, *regius* i. e. alicujus hominis praepotentis & multum pecunioſi, quales plurimi ſunt in Haga Comitis. Certe non potes negare quod vocula *mus* ſignificat unus paraſitus. ideo ſcripſit Terentius in Perſa:

— numquam quiſquam meorum majorum fuit,
Quin paraſitando paverint ventres ſuos:
Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,
Quaſi mures ſemper edère alienum cibum.

ideo unus ſervus Epicuri vocabatur *Mus*. & Diogenes cum aliquando pranderet panem album cum butyro & caſeo Edamenſi, vidit quod tres nigelli muſculi ſublegebant micas decidentes in pavimento; unde factus eſt ridens, dicendo: Ecce,

 etiam

etiam Diogenes paraſitos alit. Tales autem mures apud nos appellantur *linkermandi*: quanquam celeberrimus Dominus *Nil. Volentibus* non invenuite unum talem murem vocavit *Tyt Tafelbeuzem*, quaſi tu dicas *peniculum*. porro *reges* dicuntur homines divites & nummoſi, qui alunt mures menſarios in quantitate. ſic Horatius L. 1. Epiſt. 17.

rectius hoc, &
Splendidius multo eſt, equus ut me portet, alat rex.

idem Epiſt. 18.

Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent.

ſic paraſitus apud Plautum Aſinar. 5. 2.

Argyrippus exorari ſpero poterit, ut ſinat
Seſe alternas cum illo noctes hac frui. nam ni impetro,
Regem perdidi.

& apud eundem Stich. 3. 2. Gelaſimus itidem paraſitus:

Libros inſpexi. Tam confido, quam potiſt,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.

Sic etiam potentes & groſſae Dominae vocabantur *reginae*. nam; ut te in transcurſu hoc doceam; apud veteres Romanos, antequam ipſi baptizarentur & fierent Chriſtiani, nullae erant *reginae*, proprie ſumendo & realiter, ſicut quidem hodie ita vocantur uxores *Regum Romanorum*. & hinc candela accenditur Martiali, qui Pollam Argentariam, viduam poëtae Lucani, poſtquam is occubuiſſet ex morbo hypochondriorum, taliter intitulavit L. 10. Ep. 64.

Contigeris regina meos ſi Polla libellos,
Non tetrica noſtros excipe fronte jocos.

appa-

apparet jam nunc opinor, o lauriger noſter, quare tu dicaris *mus regius*, non vero *mus regis*, nimirum, quia nuper habebas complures reges, unde tibi eſſet lautior commeatus eſcarius, neque ſemper eſſet recurrendum ad eandem menſam. Et profecto ſapuiſti, quoniam valde verum eſt illud veteris Comici, quod legitur apud Scholiaſten Apollonii L. 4.

Mus miſer eſt, antro qui ſolum clauditur uno.

& quod inde tranſtulit Plautus Trucul. 4 4.

Cogitato, mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Aetatem qui uni cubili nunquam committit ſuam.
Quia ſi unum oſtium obſideatur; aliud perfugium gerit.

Haec ita poſſunt ſufficere ad enodandam etymologiam nominis tui infauſti atque ominoſi. nam nomina fato dari, non verò caeca aliqua fortuna, ſemper crediderunt ſapientiſſimi quique mortales. unde pulcherrime Auſonius Epigr. 20.

Nam divinare eſt, nomen cui ponere, quod ſit
Fortunae, morum, vel necis indicium.

& ſic firmiter ſtatuerunt omnes Pythagoraei, nec non divinus Plato in Cratylo; & e noſtris S. Petrus Chryſologus Serm. 154. quibus tu addere potes Origenem contra Celſum L. 1. Brodaeum L. 7. Miſcell. C. S. Cauſſinum de Eloqu. L. 4. C. 39. Voſſium patrem L. 1. Inſt. Orat. C. 5. ſect. 17 ſi tamen in tua ſupellectile poëtica comparent libri tam boni, ac non potius Vulpecula Reinike, & Schlennerhinkius, cum Spiritu Joannis Tympaniſtae ac Facetiis Facetiarum. Verum enim vero, quid ad me importat, quibus libris oblectet otium ſuum liberale poëta laureatus, dummodo abſtineat manum ſcabioſam a ſtudiis hominum honeſtorum? At, proh dolor! . . . . ſed nunc ad rem. dicit noſter Daphneportus, poſtquam cum uno complimento traditorio captavit benevolentiam Clariſſimi D. Gronovii,

Et vana maculas *tibi figet laude pudendas*;

notando in margine, Hermannidem temere produxiſſe primam ſyllabam in voce *Macula*, hoc verſu,

Nominis ille tui eſt macula, & hoſtis acer.

ita ſane eſt. Hermannides produxit: ſed non produxit temere. nam eſt longa ab ipſis ſuis incunabulis, & quidem longiſſima. Ecce, ipſe Clariſſimus D. Gronovius (nam ipſius potiſſimum authoritatibus niti volo, ut te tanto clarius confundam, ac tanto turpius traducam tuam nuditatem) longam fecit in luculentiſſimo carmine heroico, quod praefixit Poëmatibus Caſparis Kinſchotii ab ſe editis:

Non noſtram obfuſcare poteſt haec macula mentem.

Quid eſt, Domine Eraſme? Jamne percipis eſſe longam? pudeat te quod es unquam factus poëta laureatus: ſed dicunt pro te combibones tui, quod eſt brevis apud Virgilium L. 5. Aen.

Quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis.

O ſeri ſtudiorum, quid ego faciam pro vobis? nam tenemini omnes inſanabili inſcitia. videte mihi libros manuſcriptos poëtarum, (ſi tamen poteſtis videre) illos dico qui ſunt de bono tempore, & realiter antiqui. ibi ſemper videbitis *mihi* cum omnibus ſuis literis, pro-quo nunc hodie edunt ſegniter *mi*: & *nihil*, pro moderno *nil*. ita hic verſus Ennii apud Ciceronem legitur plenarie perſcriptus,

Nec mihi aurum poſco, nec mihi pretium dederitis.

cum tamen, ratione metri, legendum ſit utrobique *mi*. ſic apud Juvenalem eſt,

Nihil habet infelix paupertas durius in ſe.

quod itidem in lectura, ſive pronuntiatura, debet ſonare *nil*. Par eſt ratio in verſu Virgiliano. τὸ *maculis* exprimitur cum omnibus ſuis appendentiis & dependentiis: ſed quoniam tunc non poteſt intrare in verſum heroicum; eſſendo prima longa; per craſin vel contractionem proferendum eſt *maclis*, veluti dicimus *oraclis*, *miraclis*, *obſtaclis*, *crepitaclis*, *habitaclis*, *tabernaclis*, *graclis*, *caclis*, & mille talia, in quibus pronuntiatura abſorbet τὸ *u*. Sic apud Agellium *oclis* dixit poëta Laevius in Erotopaegnio pro *oculis*:

Dum Venus aureolis in oclis ſtabulatur Hyellae.

Nam ſi legas *oculis*, tunc una tota ſyllaba ſuperabundabit. & tamen veteres codices ſcribunt *oculis* plenaliter. ſic & celebris poëta Muſculi Theologi nomen contraxit, propter ignorantiam vulgi:

Wolfgangi Muscli haud improbo ſcripta ſenis.

haec ſufficienter apologeticant pro legitimatione τοῦ *macula*: ſuper quo negotio tibi ego mox dabo unum bonum brocardum, quando erimus arrivati in loco competente. nam tu non es primus qui moviſti hanc camarinam, neque ex tuo horto venit floſculus tam male odoratus. ſed bonus praetor patienter expectat ſuas mulctas. noſter Ariſtarchus pergit, dicendo

Tam male conſumtis feriis *in rebus agendis.*

quia ſcilicet ego primam in *ferias* corripui. an hoc tibi tam capitale crimen videtur, o Eraſme, ut ego propterea debeam vapulare ſic atrociter apud tuum tribunal poëticum? amabo te, AUDI ET ALTERAM PARTEM. Tu actor dicis quod prima eſt longa: vocando me propterea *verſificator*: & nihil probas. Ego reus dico quod prima eſt brevis; & hoc intendo probare exemplis irretragabilibus, atque adeo omni

exceptione majoribus. Ecce, Clariſſimus D. Gronovius in divina elegia, qua honoravit Dn. Groenendijck, Chriſti ſuprema decantantem, dixit,

Legitime ad ferias auribus ire novas.

& τὸ *ferias* cum ſua prima brevi quinquies geminavit in eodem carmine: ne tu putes id caſu quodam, aut forte aliqua temeraria accidiſſe. vide & inquire ipſus, Eraſme, num te fallam, num quid mentiar tibi. Jamne ſatis tibi factum eſt, Eraſme Regie, ſuper quantitate metrificabili in voce *ferias*? an potius Vir ille omniſcius non potuit videre id quod tu vides, Lynceus ſcilicet prae hoc Thamyra? an putas ipſi latuiſſe id, quod tibi ſoli patuit? Sed docendus es ſaniora, ex ipſa originatione nominis, quae plerunque nos ducit ad cubile veritatis. Eſt autem iſtius vocis triplex etymologia. Voſſius pater derivat a *ferendis epulis.* L. 4. Inſtit. Orat. C. 13. p. 253. alii dicunt, quod venit a primitivo *ferus*: & addunt rationem, quod Domini Studioſi ſunt paulo minus placidi & paulo magis feri in temporibus feriarum, quam fuerant antea durantibus Lectionibus & Collegiis. quod nimirum tunc oblectant genium ſuum vadendo in diverſoria; ſubigendo Muſas, ſive tictaccando; vel ſupponendo ancillas quando hoſpita non eſt domi. Tertia opinio eſt eorum, qui tenent quod deducitur ab adverbio *ferè*: quia ſcilet Domini Studioſi in feriis Academicis fere nihil agunt. Elige nunc, o poëta portator frundis Apollineae, quam tu cunque voles ex iſtis tribus opinionibus: & videbis clariſſime, primam in *ferias* eſſe brevem, atque idcirco neceſſariter corripiendam. Haec myſteria noſtrae artis ſi ſciviſſet malus iſte Dermaſius, non ita turpiter ſe dediſſet in iſta ſua maledictiſſima Epiſtola *de intolerabili faſtu Jacobi Gronovii*, (ita enim ſcribit parum reſpectuoſe, absque ullo titulo Dominationis; vel Clariſſimatus; vel Celeberrimatus; vel denique, Germanice ſumendo, Excellentitatis) ubi. p. 58. recitando verſum jam praementionatum Clariſſimi D. Gronovii, exclamat Stentoriter: *Sed o* maculam, *quae vel ſola tanti Critici famam offuſcare potis eſt*! &c. &c. &c. non enim libet recoquere anti-

antiquas merdas. quas tamen ſtatim recoxit unus ſtercoreus poëtaſter parvulus, domo (ut ajunt) Leidenſis, genere Sartorianus, addendo aliquid de voce *ferias* ex theſauro ſuae malignitatis infrunitae, & mittendo ad virum quendam pium hoc impium epigrammatidion:

Dum tergit clunes Gronovi carmine Clemens,
Haeſit in attonita macula *longa manu.*
Hanc delere volens, fullonem convenit Aulum.
Is ſibi per ferias *tunc licuiſſe negat.*

O diritatem ſceleris abominandi? o facinus ultricibus flammis vix ac ne vix quidem expiandum! quale profectò non vidit hic orbis Belgicus poſt tempora tyrannica Ducis Albani impiae memoriae. nam tunc etiam homines peſſime feriati, frementesque haeretici, atque obſtrigillantes ſycophantae per libellorum famoſa ludibria, perque pasquillos anitergiales tantum non in rabiem dederunt R. F. Cornelium Adriani, Dordracenum, Ordinis Minorum Theologum & Eccleſiaſtem, virum ſingularis cum eruditionis tum eloquentiae, atque idcirco primarium apud Brugenſes Cluniſpicem. o malum invidiae venenum? o peſtilentes dentes! ſed nimirum *mos eſt hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere*, ut praeclare dixit Cicero lib. de Clar. Orat. & Menander dimidiatus Andr. 4. 1.

Hoccine credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut ſiet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius ſua comparent ut commoda?

& praelibatus Cicero iterum: *Quam facile ſerpat injuria & peccandi conſuetudo, quam non facile reprimatur, videte judices.* cauſam catharticam tanti mali eleganter aperuit Titus Lucretius Carus L. 3.

Macerat invidia, ante oculos illum eſſe potentem,

Illum aſpectari, claro qui incedit honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi coenoque queruntur.

Tu vero, o amice care, praetuliſti ſedere in cathedra ſubſannatorum, & refricare ulcus tam carcinomatoſum; immemor (opinor) quod tales diabolici poëtaſtri, poſtquam evomuerunt ſuum ſceleſtiſſimum ſtomachum, ſunt ex numero illorum infelicium apoſtatarum,

quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere caedit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Neque etiam animadvertiſti, qui ſtupor eſt tuus, quod iſte ſurtificus Sartorides (ſecundum genium gentis veſtificatoriae) acumen omne ſacrilegi carminis, *macula* puta & *fullo*, coactus fuit clepere ex notiſſimo dicto veteris cujusdam hominis de ſorore ſua moechoſa: *miror quod ſoror mea habet Maculam, cum habeat Fullonem*: alluſionem faciendo ad nomina duorum adulterorum. ſed nos de ſemita in viam revertamur. carpit deinde Momus laureatus, quod eliſionem neglexi in hoc verſiculo,

Hac animi facile cuncta ferentis opes.

& dicit eſſe peſſime factum. ſed o illum rudem veteris elegantiae! reſpondeat pro me Cicero in Oratore. *Sed Graeci viderint: nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipſae horridulae Catonis: indicant omnes poëtae, qui, ut verſum facerent, ſaepe hiabant: ut Naevius,*

Vos, qui accolitis Hiſtrum fluvium, atque Algidam.

& ibidem,

Quam nunquam vobis Graji, atque Barbari.

At Ennius ſaepe,

Scipio

Scipio invicte. —— ——

& quidem nos,

Hoc motu radiantis Eteſiae in vada ponti.

haec ille pater eloquentiae Latinae. Virgilius:

Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo.

& Geor. 1.

quae cura colendo
Sit pecori, apibus quanta experientia parcis.

ac deinde, L.2.

Tum pingues agni, & tum molliſſima vina.

plura non addam, ne obruar ipſo numero authoritatum. pergit Momus praedictus, me vellicando quod dixerim

Nunc ſanus poſt tot vulnera, totque plagas:

& convitiando, quod prima in *plagas* debet eſſe longa. At ego te, o Mome, Nocte matre ac Somno patre progenite, docebo meliora, & oſtendam quod prima in *plagas* debet eſſe brevis. Clariſſimus D. Gronovius in divina elegia Corporis Theologiae A. Heidani:

Nunc quoque qui pergis poſt tua fata pugil
Invictus, licet & ſeram Libitina quietem
Sacrarit, poſt tot praelia totque plagas.

idem Vir Celeberrimus in hendecaſyllabo ad Pechlinium:

En tempus venit! en! plagas per omnes
Quo Famae lituus tuum ſonabit
Nomen,

Virgilius L. 1. Aen.

Aetheria quos lapſa plaga Jovis ales aperto
Turbabat coelo.

& Geor. L. 4.

Retia rara, plagae, lato venabula ferro.

Martialis L. 1. Ep. 56.

Ante forum plenas explicuiſſe plagas.

Gul: Puppius:

Natus quando novus Rex eſt, vicinia mittit
Munera ei, mittit quin peregrina plaga.

pergit Momus, dicendo turpe vitium eſſe commiſſum a me contra proſodiam in hoc meo verſiculo,

ſed quiſnam homo eſſe modeſtus
Sic queat?

at ego jam tibi reſponderam, o mus moleſtiſſime, ubi agebamus de eliſione neglecta. tamen hoc ſuperpondium cape a Clariſſimo D. Gronovio:

--- haec eadem verſari & vivere in ipſo,
Ut quaecunque cadant, unius eſſe Dei
Conſtet opus munusque; nec, o homo, eſſe modeſtus
Deſiſtas, ſi te vela ſecunda vehant.

abi nunc, & ſuſpende te. quod antequam facias, & fias ſuſpenſioſus; dic mihi, quare erit tibi magnus Apollo, qui poterit dimetiri verſum Hermannidae iſtum?

Quod bene ſe nutrieris, non diſcingendo, viciſſim.

ego

ego poſſum bene dimetiri, ſi tu non potes: & quaeſo te quodnam eſt hic vitium? quiſnam hic error? nam nihil me doces. an etiam hunc non potes dimetiri in oda Sapphica Clariſſimi D. Gronovii ad Praeſtantiſſimum D. Joannem Jenſium?

Non potes certe dubitare, quin hac
Unica ſpe te nutrierim, & politam
Ire Dordracum fuerim precatus.

non etiam illum ex L. 12. Aen. Virgilii?

Inter ſe coiiſſe viros, & decernere ferro.

non iſtum ex Georg.

Aut ovium foetus, aut urentes culta capellas?

at ego poſſum, ut dixi. Tamen te nihil aliud docebo, niſi quod tales verſus per unum privilegium ſpeciale vocantur *hypermetri.* nunc tu, Eraſme, ſi vir es, expedi te apud veteres Grammaticos, & vide quid illi ſcripſerint ſuper capitulo *hypermetritatis.* Sed non facies, ſcio: es enim ignorax, & contumax, & ſternax, & latrax,

Ut canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres ſunt linguae, tergeminumque caput.

noli tamen putare quod ille canis callet tres linguas, Latinam, Graecam, ac Hebraicam. non eſt iſta dos generis canini. Sed enim vero

Magnum iſte terrorem intulerat mihi
Solens Eraſmus fidere brachiis,

poſtquam vidi quod tam lepide ridet cum τῷ *frigidula ſacra.* Atqui, o ridiculoſe Eraſme, nos iſtud paſſagium pro nunc quidem tranſibimus frigidule, & reſervabimus in unum alium locum commodiorem; ſicuti quod noſtra ſacra, ut ut frigidula, ſunt adhuc magis calidula quam poterit ferre tuum cerebellum,

quod

quod mihi comparet eſſe de frigidis & maleficiatis. Igitur ad alia ſaltum faciemus, ſecundum memorabilem gnomam Sapientis, *en Rhodus, en ſaltus.* Traducit Mus Regius quod ego dixi

Con Dordracena rector in urbe cluet.

& comparat me Gulielmo Puppio, *mirandi oris* poëtae, itidem dicenti

Penſio qui noſtrae narius urbis erat.

rogo te, Eraſme, noſtine probe Gulielmum Puppium? non credo, non puto, non opinor. Fuit ille vir pius, ac polite doctus, proſa & verſu bonus: & ſcribebat ſe *Gulielmus Puppius a Steinkoul ab Erckrath, Duſſeldorpianus, Verbi Dei Miniſtrorum Edami alter.* Cujus Poëmata terſiſſima ac facundiſſima utinam de novo recudantur in officina Jordani Luchtmanni cum privilegio ad ſexennium, & cum luculenta praefatione alicujus Viri Clariſſimi, qui Juventutem Batavicam doceat uſum proficuum libri tam excellentis! Sed quid tantopere te offendit in meo verſu? anne urbis Dordracenae nomen tibi facit vae in oculis tuis noctuinis? an quod eam *politam* vocavit Celeberrimus D. Gronovius? an quod ſola inter urbes Hollandiae habet jus monetandi aurum & argentum? ut cecinit idem ille cultiſſimi oris poëta G. Puppius, in oda Sapphica venae propemodum Gronovianae:

Sic licet nuſquam Batavis monetam
Credo, Dordraco niſi in urbe tantum
Cudere; aſt Hornâ Friſiae oppido hoc eſt
Neve negatum.

at, at! hoc illud erat ſcilicet: ſordet tibi tuaeque ambitioſae laureae titulus *Conrectoris*, & videtur tibi illud munus eſſe humile, ſordidulum, ac triviale. quia nimirum vulgus credit, quod homines de ſchola ſunt aliqualiter pedantiſmo infecti; & quod talis morbus, veluti morbus Gallicus, vix unquam poteſt totaliter curari. Sed tu peſſimum mihi authorem rerum gerendarum profers, vulgum. Certe, o amice, *non*

non ita Romuli
Praeſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.

non ita Judicavit, ut quisque olim fuit ſapientiſſimus. & praeclariſſime noſter Cicero dixit: *Nullum munus reip. adferre majus meliusve poſſumus, quam ſi doceamus atque erudiamus juventutem.* lib. 3. de Divinat. neque minus praeclare, & quidem in ſpecie de Conrectoribus, mirandi Puppius oris (ita tu cavillaris) hoc inſigni loco:

Qui Conrectoris vice fungebatur in urbe
Lugduno in Batavis, laudéne dignus erit?
Inveſtigavit themata omnia rite Pelaſga,
Et Graja & Latia voce mehercle valens.
Et tibi gratandum, quod Conrectore fruaris
Docto affine tuo, mi Vekemanne Petre.
Suſcipit hic humeris onus, ut ne, Petre, fatiges
Te, Vekemanne, nimis: nam decus ille ſcholae eſt.
Gnaviter & plures tali ſtatione laborant,
Qui Conrectorum munia dura gerunt.
Rectores docti doctos enim habere [illegible]*,*
Lactucas ſimiles labra ut habere ſolent.

deinde rationem ſubjicit Vir ſapientiſſimus, quare Doctores ſcholarum trivialium debent eſſe in tantum honorem, dicendo, ſive cantando:

Hi plus aedificant, quam multi ſaepe Miniſtri
Verbi Divini, cum pietate valent.
Nam Gregis hi jaciunt fundamina prima Jehovae,
Formant, fungantur quique Miniſterio.
His ſine, non ullus doctus foret orbe Miniſter:
Sic mera barbaries nonne futura foret?
Inſtituit multos Praecones quando, meretur
De grege non melius Gymnaſiarcha Dei,
Unam quam paſcit cum Jovae praeco cohortem?

 quo-

quocirca non poſſum quin parumper, quantum quidem patitur fraterna charitas, ſuccenſeam Praeſtantiſſimo Jenſio, qui aliquid humani paſſus eſt nuper, cum iſta ſibi verba exciderent: *Ego vero ſatis ſuperque honori duco decretum Curiae Dordrechtanae de ſtudiis meis, & de me adhucdum juvene, ut ignarus, ſine prenſatione ulla (niſi quam honeſtiſſime faciebant juvenilia mea experimenta) fierem proximus illi loco, quem ὁ πάνυ Gerardus Jo. Voſſius jam grandior natu poſſedit; quique deinde ad eam ipſam cathedram, quam tu nunc obtines, aſcendit: nec ego conſeneſcere in illo pulvere decrevi.* Ah, Vir Praeſtantiſſime, quale verbum tranſivit ſeptum dentium tuorum! Tune igitur ipſis carceribus novae tuae Spartae admonere voluiſti Curiam Dordrechtanam, ut ſibi in tempore faciat proviſionem de novello Conrectore? Tune tam inconſultò velis abandonare honeſtiſſimam ſtationem, in qua te meritiſſimò collocarunt tua juvenilia experimenta, & quam tibi ipſa tua virilia ac ſenilia facile tuebuntur extra cujusquam invidiam? Tune id facere velis, qui ſapis tanquam unus Puppius, & qui metrificas tanquam duo Puppii? Abſit, ut credam conſilium tam temerarium poſſe nidulari in animo tuo animoſiſſimo. Sed tu, qui fonte labra proluiſti caballino, & es unus poëta optimae monetae, voluiſti puto nobiſcum jocari poëtice, juxta vetus dicterium quod exſtat in Theſauro Buchleri,

Exit in immenſum foecunda licentia vatum,
Obligat hiſtorica nec ſua verba fide.

ergo tu nulla poſthac Prolegomena ſcriberes in Gyraldum; ſicuti (quod tamen factum oportuit) nulla ſcripſiſti in Stukkium, contentus ſolo correctoris honorario? Tamen, quod cum pace tua dictum eſto, hanc a te operam non minus merebatur Stukkius, quam Gyraldus. Uterque eruditiſſimus fuit, uterque poëta, nobili uterque generis proſapia ortus. Ac de Gyraldo quidem tu ipſe dixiſti quae tibi erant comperta ex tuo promptuario infinitae lectionis: quare igitur in ornando Stukkio parcior fuiſſe voluiſti vel avarior? certe non latebat tibi illud noſtri Puppii:

Janus

Janus Guilhelmus qui Stugkius eſt Tigurinus
Doctrina & Juvenis nobilitate valens,
Helvetios ſuperaturus qui dicitur omnes,
Sacra Viro non eſt nota Poëſis ei?

Ergo tu . . . : Sed quorſum me abripit nimietas boni zeli pro Conrectoribus ? reſpondendum erat ad calumnias Eraſmi Regii, & non ita extra oleas ſpatiandum , neque litigandum in foro alieno. igitur D. Rutgere, quandoquidem multum ceſſator fuiſti,

attrahe lora
Fortius, & gyro curre, poëta, tuo.

noſtrum laureatulum non urebat nomen urbis Dordraci ; non cruciabat ſtatus honoris Conrectoralis ; ſed moleſtam fermentationem faciebat ipſi in ſuo delicatulo ventriculo una figura rethorica quae dicitur Graece τμῆσις. Latine *Diviſio, Sectio, Interciſio* ; fit enim, quando una vox per quippiam interjectum dividitur. iſta autem figura plurimum ſunt delectati docti illi veteres, quos tu, Eraſme, nunquam videris legiſſe. Paucis exemplis defungar, utpote in re notiſſima. Ennius L. 6. Ann.

telo
Transfigit corpus ; ſaxo cere comminuit brum.

Sempronius Gracchus:

Praefracte oblatam ſtultum eſt medi-ſpernere-cinam.

Lucretius L. 6.

Principio terram ſol excoquit, & facit are.

Auſonius in Caeſaribus:

Matrique cida Nero proprii vim pertulit enſis.

idem Epiſt. 5.

Villa Lucani mox potieris aco.

ubi plurimum commendat lepidiſſimam figuram, addendo,

Reſciſſo diſce componere nomine verſum:
Lucili vatis ſic imitator eris.

quanquam iſta nobis Luciliana exempla per temporum longam injuriam perierunt. auctor diſertiſſimus de Luſtitudine Studentica:

Et reve de molli rentia veſtra thoro.

item alius anonymus in Gloſſis nondum editis:

Deficiente pecu, deficit omne, nia.

eloquentiſſimus orator concionalis, & ſimul poëta, Gul. Puppius:

Artium erat, Sophiae, Theo quin logiaeque Magiſter.

&:

Quod Theo non logiae Doctor promotus, id angor.

ac:

Sturmius Hubertus doctiſſimus ille Profeſſor,
Qui Theo Lugduni Doctor erat logiae.

que:

Qui meus & fueras Praefectus *in urbe paterna:*
Paeda metro hoc nequeo dicere gogus enim.

atque:

Eſt illi Sacrarum tanta peritia rerum, ut
Non Theo ſit major Doctor eo logiae.

Henricus Strombergius, poëta laureatus & muſicus, Scholae Campenſis Conrector:

Optatam eque vocans formoſi lampada Phoebi
Factorem celebras orbis in orbe Deum.

haec paucula ſufficiunt ad defendendam meam tmeſin. Sed quid tibi Eraſme Regie, fecerunt poëtae Enchuſani, Mediblici, & ceteri cygni ſive olores Weſtfriſiaci? an tu putas noſtrum orbem Borealem ita plane deſtitui decoris ingeniis? & duntaxat in veſtris ſilvis ac nemoribus oberrare Heliconias puellas? atqui, o Eraſme,

Mediis nos ſcribimus undis
Carmina, & inſano tingimus ora mari.

Ut

Ut ego tibi de viventibus hodie nihil dicam; nolo enim cuiquam adulari; pauculos ſelectos e mortuis proferam, eoſque laudatos ore peregrinae Muſae, ita quod abeſt omnis ſuſpicio blanditiarum, quae ſolent adhiberi lansmannicatis ergo. Petrum Cornelii noſtine, Eraſme? non. igitur jam nunc incipe noſcere.

Eſt Corneliades Petrus Enchuſaeque Miniſter
Carmina Leiceſtro Graeca Latina canens.
Hic Corneliades cum ſit doctiſſimus, illum
Cenſorem cupiam carminis eſſe mei.

quid? nonne etiam Johannem Campium?

Eſt & Johannes doctiſſimus ipſe poëta
Campius, eſt ſeptem luſtra bis atque ſatus.
Hic Enchuſana, ſacro ſermone bidentes,
Plus viginti annos paſcit in urbe, Dei.
Verſus id multos ad me ſcribendo probavit.

non etiam iſtos inſequentes?

Qualis Edamenſis Loeni Reinere poëta,
Dicere jam poſſum néve futurus eris.
Carminis uſque boni ſpecimen dederas mihi nuper,
Ut non immerito Laurea ſerta geras.

nam & nos, o Eraſme, habemus noſtros laureatos: ne putes id ſolis Hagienſibus contingere, aut Leidanis. imo (quod vos jactare non poteſtis) nos habemus noſtros Comites Palatinos, qui laureant poëtas, & qui habent jus creandi notarios ac legitimandi ſpurios. Talis Comes fuit Bernhardus Paludanus, medicus Enchuſanus, bene audiens, & multis peregrinationibus nobiliſſimus. de quo ſcriptum aſſervatur in noſtris archivis:

Atque Palatinus Lateranus ſit Comes: ergo
Ipſe notariolos jure creare poteſt.
Ipſe poteſt lauro doctos ornare Poëtas,
Ut poſt a lauri nomina frunde gerant.

 Sed

Sed redeamus ad poëtas noſtrates. num & hos noſti ſequentes?

Laude ſua fraudandus erit Witthaeus Edamus
Neve Petrus, linguis pluribus ille valens,
Artibus atque bonis, & Legum cognitione;
Doctor enim factus Jure in utroque micat.
Filius eſt qui Nicolei, ſeu more Batavo
Hanſius & Petrus forte vocatus erat.
Quin Reineriades doctus Petrus ille Magiſter
Civis Edamenſis fatidica arte valet.
Janus & Haſtenus, de gente creatus Iuli,
Berchemius Doctor Jure in utroque potens.
Neſcio, num Juris ſit doctior ullus eodem:
Deſinit hic felix eſſe Poëta neque.

at tu deſine, Eraſme Alaſtor, tam laſciviter vellicare cives noſtros, ne & tibi pro malo viciſſim reddatur malum. nam haec eſt noſtra vetus gloria, de cujus poſſeſſione per tuam importunitatem dejici nolumus, nos, qui inter primos & principes totius Hollandiae aperuimus ludos & ſcholas liberalium artium ac bonarum diſciplinarum.

Sicut Enchuſi Latium Lyceum,
Sic & Hornenſes Latium & Pelaſgum,
Ac habent primum mihi nominandi
Alcmarienſes.
Nos Edamenſes revocabimusque,
Exſtruent ſicut Monacho in de dami,
Sic Medeblici, & Mare Purum habentes,
Noſtra Lycea:

hactenus invidiae reſpondimus pro vindicta honoris urbium patriarum: nunc ad Eraſmum convertor. is me vocat *verſificator acer*; notando quod ego primam in *acer* corripui in meo verſu, cujus dimidium jam ſupra defendi,

Nominis ille tui eſt macula, & hoſtis acer.

ſane corripui. At, dicas, cur brevem eam ſyllabam feciſti? Nempe

Nempe ut tu turpiter te hiç dares: nam etiam nunc memet non retexo. ἔγωγε, ἔγωγε. Tu contra reclamabis; legi in Horatio L. 1. od. 2.

Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hoſtem.

o Eraſme noſter, o poëta laureate, vide per Deos immortales quam tu ſtramineo tibicine innitaris. iſte locus in mendo cubat: quamvis jam ante duo ſaecula e libris Vaticanis oſtenderit Pomponius Laetus eſſe legendum, *Ater & Mauri.* optime, ac veriſſime. Mauri enim & Aethiopes ſunt atri, id eſt nigri. Juvenalis Sat. 8.

tibi pocula curſor
Gaetulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri.

nihil te juvat Horatius: & prima in *acer* manet brevis, ſicuti manebit in omnia ſaecula ſaeculorum. Clariſſimus D. Gronovius, in divino carmine quod ſcripſit honori D. Caroli Drelincurtii C. F. C. N.

Haec inter quam geſtus acer? quam vultus amoenus?

Ovidius L. 10. Metam.

Et platanus genialis, acerque coloribus impar.

& L. 1. Amor. El. 11.

Veneri fidas ſibi Naſo miniſtras
Dedicat. at nuper vile fuiſtis acer.

Serenus Sammonicus:

Hinc bibis, aut aceris radicem tundis, & uva.

pergamus. deinde ſubſannat hoc diſtichon,

Namque tuis ſtudiis, velut exercitibus, omnem
Doctrinam clauſa cordis in arce tenes?

an

an tibi nulla placet metaphora, Eraſme? & omnia, ſecundum tuas regulas, dicenda ſunt verbis planis ac ſimplicibus? itaque tuo calculo damnabuntur optimi quique inter veteres poëtae, & erudita dictio floribusque facundiae urbanae picta poſthabebitur locutioni ruſticanae. & apud te diſertior cenſebitur pedellus aliquis, quam Profeſſor quivis Clariſſimus. itaque haec non probabis:

Quem ſtudio morum naturae pinxerat unguis,
Encauſto tinxit mors inimica ſuo.
Nullius vitis glacies hiemavit in iſto.

neque placebunt illa:

Paulus in orbe docet, fideique ligonibus omnes
Excolit, & fidei cogit flaveſcere meſſem,
Errorum fugiente gelu.

neque item iſta:

Arridet germen quod linguae pingitur oſtro.
Ver habet in bruma qui flores carmine gignit:
Per glaciem zephyros exhalant verba tepentes.

profecto, Eraſme, tu ingenium habes valde ruſticum, & valde infelicem. at, at! notas in animadverſione, quod eſt error in voce *exercitibus*. tam commodum eſt, ſemper cum ſapientia habitare. Agnoſcitis ergo, D. Rutgere, quod pro nunc ſaltem erraviſtis, capiendo unam ſyllabam brevem pro una longa? agnoſco quod antepenultima in *exercitibus* eſt brevis: ſed nego quod ideo erravi, ponendo τὸ *exercitibus* in iſto loco ubi nunc ſtat, & bene ſtat, & ſtare debet. Quomodo diabolus, D. Rutgere? agnoſcitis quod iſta ſyllaba eſt brevis, & ſimul negatis quod peccaviſſetis ſinendo eam brevis? At ego te, D. Eraſme, faciam ex impedito ut ſis expeditus, ſi prius te monuero tuae fataliſſimae imprudentiae, qui non vidiſti quod, reprehendendo meos verſus, incurris tanquam unus caecus mendicus contra primaria ſaeculi nomina, & Viros omni mea tuaque laude majores. An tu reris, quod literatiſſimus D. Edu-

Eduardus a Zurck, Scholae Harlemenſis Gymnaſiarcha laudatiſſimus, non habebat totidem oculos quot tu habes, cum in ſua pulcherrima elegia Namurcenſis victoriae ſcribebat,

Teſtis ineſt, juſtis cumque exercitibus ingens
Turba ducum?

praeſertim cum paulo ante ſcripſiſſet,

Tertia jam variis exercita caſibus aeſtas.

an tu putas eundem illum Virum eruditiſſimum neſciviſſe, quod prima ſyllaba in voce *ſpolia* eſt brevis? atque ideo ceciniſſe,

Fallacisque ſequi ſpolia nota manus?

an tu ſuſpicaris, quod Celeberrimus ac plurimum Reverendus D. Melchior Leydekkerus S. S. Th. D. & Profeſſor in alma Univerſitate Trajectenſi ad Rhenum, ignoravit modulum vocis *ſolida* in illa ſua pleniſſima Heroicorum ſpirituum oda victoriae itidem Namurcenſis? & quod ob eam cauſam iſtic legitur,

Namurca quondam ſolida Belgio
Tutela, robur, praeſidium, decus.

o miſerum cum ſua laurea poëtam! at ego te, Eraſme, reducam in ſemitam veritatis, nec patiar ulterius in nebulis errorum caligare. quanquam vix credo, quod tu talia ſaepe audiviſti in Lectionibus conchalibus: quia fuiſti indiligens atque incurioſus, & noluiſti audire. in multis verſuum affectionibus (Graeci πάθη μέτρων appellant) etiam hoc obſervandum venit, quod non ſemper illi pedes ſervantur, ex quibus ſolis dicitur conſtare hoc vel illud metrum: ſed quod pedes alii atque alii viciſſim inter ſe commutantur. Sic illi praelibati Viri Clariſſimi in verſibus ſupra adductis tribrachym pro dactylo, idque certa ratione & authoritate principum poëtarum, poſuerunt. Ennius Ann. 17.

Imbricitor, aquiloque ſuo cum fulmine contra.

Virgilius L. 3. Georg.

Invalidus, etiamque tremens, etiam inſcius aevi.

tum ejusdem operis L. 2.

Vi propria nituntur, opis haud indiga noſtrae.

& L. 4. Aen.

Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Lucretius L. 2.

Tandem coierint ea quae conjecta repente.

vides, opinor, Eraſme, haec non temere contigiſſe: Sic & trochaeum pro dactylo ſtatuerunt veteres. Lucilius L. 30.

Quod tuas laudes culpes, non proficis hilum.

Idem poëta L. 28.

Culcitae accedunt privae centonibus binis.

Lucretius L. 2.

Buceraeque greges ſub eodem tegmine coeli.

Sic iambus pro dactylo uſurpatur. Virgilius L. 2. Georg.

Muneribus tibi pampineo gravidus autumno.

Sic iambus pro ſpondaeo. Virgilius L. 3. Aen.

Dona dehinc auro gravia ſectoque elephanto.

ſic antibachius pro dactylo. Clariſſimus D. Gronovius, in luculentiſſimo hendecaſyllabo honori Pechlinii dato:

Qua pulchram lucubratione mentem
Delectaveris.

ſic dactylus pro trochaeo. idem Vir Celeberrimus in eodem

belli-

belliſſimo carmine:

Quid dicent aliud, quibus legeris,
Quam mentis bene judicantis eſſe hunc
Librum? quam cerebri ſine faece puri?

ecce, poëta, artis tuae myſteria hactenus tibi ignota, & arcana vere arcana! Sed & ſimul vide quam turpiter te proſtitueris, & quam indignis modis me immerentem laceraveris, ac mecum pariter Viros illos ter magnos, quibus tu ut corrigias ſolvas non es dignus! notas deinde, quod diphthongum in voce *Euangelii* turpiter corripuerim, ſcribendo

Flumine Euangelii pectora ſicca rigans.

tu vero ipſe turpiter hallucinaris, Eraſme; neque ſatis diligenter perpendiſti quae nuper de diphthongis ſubtiliſſime tradidit, in illa ſua luculentiſſima Defenſione, Praeſtantiſſimus Jenſius, vir prodigioſae lectionis, cap 4. Vis & exempla? dabo. Clariſſimus D. Gronovius in divina elegia Heidanea:

Et (promiſit enim) coeleſtia fundere dona,
Ubere Euangelii pectora & ora rigans.

Septimius Florens Tertullianus, author ſi quiſquam proſodiae obſervantiſſimus, L. 2. adv. Marcionem?

doctor opimus
Tradit Euangelium Paulus ſine crimine mundum.

& paulo poſt:

Non ut Euangelii partem pro corpore toto
Exciperent modicam.

& mox:

miſſus in orbem
Ipſe Chriſtus Euangelium eſt, ſi cernere vultis.

tum etiam L. 4. ejuſdem operis:

Quos in Euangelio Dominus quoque dixit & hoedos.

Haec pro me ſufficienter militant contra tuam petulantiam. quanquam video, cum magno dolore cordis, quod nitidiſſimus Puppius in eodem luto tecum haeret:

Ac Euangelii, mitto diſcrimina Legis.

fortaſſe hic te locus decepit propter ponderoſitatem authoritatis. ſed debebas cogitare, neminem omnibus horis ſapere, & humanum eſſe labi. Vides candorem meum, Eraſme: poteram enim parcere Puppio, cujus reputationem aeque ac meam ipſius propriam diligo, ſi diſſimulaſſem: ſed vicit vis veritatis. Tu autem pergis latrare, quod primam in *ſtipendia* corripuerim, dicendo

. . . veſtrae ſunt iſta ſtipendia Muſae.

O miſer! etiam Clariſſimus D. Gronovius corripuit in laudatiſſima elegia ad D. Groenendicium:

Nec poſt emeritae finita ſtipendia Muſae.

etiam Clariſſimus D. Perizonius:

Lyclama, pervigili per quinque ſtipenda cura.

dic mihi ſtipes, an *ſtipendium* non venit a *ſtipem* & *pendo*? porro prima in *ſtipe* quanta eſt? dicat Ovidius Faſt. L. 1.

Qui ſtipe mel ſumta dulcius eſſe putas.

idem ibidem:

Dulcia cur dentur video: ſtipis adjice cauſam.

Martialis L. 9. Epigr. 7.

Nec quam ſuperbus computet ſtipem leno.

At enim (clamas tu) Catullus produxit, etiam in editione Scaligeri,

Indomito nec dira ferens ſtipendia tauro.

&

& *ſtipendium* eſt contractum ex integro *ſtipis pendium*, ut dicit Catholicon; & ideo prima longa. At enim (reſpondeo ego) Catullus eſt corruptus: & membranae veteres notae Opimianae in Bibliotheca Leidenſi iſtic legunt,

Indomito portans nec dira ſtipendia tauro.

Et ita tu corrige in tuo exemplari, ſicuti ego jam pridem feci in meo. Pergis autem ſibilare vipera? non placet tibi *Orpheicae* vox in meo verſu,

Quae ſicut Orpheicae chorda canora lyrae:

& reponi jubes *Orpheae*, tanquam mollius & melius ſonans. an quia Reverendiſſimus Princeps Ferdinandus, Paderbornenſis ac Monaſterienſis Epiſcopus, ſcripſit in funere Sidronii Hoſſchii:

Scilicet ereptum ſic triſtis Naſo Tibullum
Luxit, & Orpheam Calliopea necem.

ideo ſemper eſt taliter ſcribendum? an nunquam *Orphicus*? qualiter Cicero L. 1. de Nat. Deor. *Orpheum poëtam docet Ariſtoteles nunquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagorae ferunt cujusdam fuiſſe Cercopis.* an nunquam *Orphaïcus*? qualiter Macrobius L. 1. in Somn. Scip. c. 12. *ipſum autem Liberum patrem Orphaici* νοῦν ὑλικὸν *ſuſpicantur intelligi, qui ab illo individuo natus in ſingulos dividitur.* an nunquam *Orpheïcus*? qualiter Clariſſimus D. Gronovius in illo vere Heroico carmine quod eſt praefixum Poëmatis C. Kinſchotii:

Hoc eſt flexanimi lapideſque feraſque tenere
Orpheïcae ratione lyrae.

ego te non carpo, quod ſecutus es Principem Ferdinandum. cur tu igitur non potes pati, quod ego ſequor meum Heroa, Clariſſimum D. Gronovium? qui quamvis non eſt tam groſſus dominus, quam fuit Princeps Ferdinandus; eſt ad minimum tam bonus poëta, & tam idoneus author Latini Leidenſis. nam mehercle, ſi verum audire volumus, quando Princeps Ferdinandus expreſſit ullum veſtigium rectae Puppeïtatis?

tis? quod Clariſſimus D. Gronovius fecit hactenus tam invidioſe feliciter in ſingulis ſuis componimentis carminificalibus. o male Eraſme! cur ego debeo ſumere tantam tormentationem in refutandis iſtis tuis foetidis calumniis? & quare tu me accuſas, ipſe accuſandiſſimus? nam mediusfidius; ſive mehercule; quod eſt idem. Feſtus: *Mediusfidius compoſitum videtur, & ſignificare Jovis filium; id eſt Herculem.* nam mediusfidius, rectiſſime dictum eſt a Cicerone in Salluſtium, *Carere debet omni vitio, qui paratus eſt in alterum dicere.* Hanc tu qualitatem in te agnoſcis, Eraſme? credo, per barbam meam, quod non. & debes notare quod ego hic juro ritu ſanctae antiquitatis, ubi barbae erant in majore aeſtimio quam ſunt nunc, neque (ut fit hodie more moro) totaliter & radicaliter abradebantur. Aimonus L. 1. de Geſt. Franc. c. 20. *Miſerat Clodoveus legatum ſuum, nomine Paternum, ad Alaricum regem Gothorum, ut voluntatem ejus agnoſceret, quo in loco ambos reges ſibi, pro utriusque regni utilitatibus collocuturos, oporteret occurrere, & Alaricus, juxta morem antiquorum, barbam Clodovei tangens, adoptivus ei fieret pater.* qui & inſignem locum habet, ſuper iſto infando barbarum exterminio, L. 4. c. 17. *Clotharius, non parvo terrarum ſpatio a filio ſejunctus, opportunitatem praebuit, ut ducem* (Aquitaniae Sadregiſilum) *ad convivium accercitum, & contumaciae redargutum, Dagobertus flagellis caedi, barbaeque amputatione deturpari praeciperet.* vides etiam nunc, quanto cum ſtudio barbas ſuas fruticeſcere & ſilveſcere faciant R. P. Capucini. Sed haec in tranſitu, & per occaſionem mei juramenti. Nunc tu culpas in meo carmine vocem *quiſquilias*, quaſi ſordidam & parum decoram. an tu nunquam legiſti Feſtum, homo hominum quot ſunt .... vox eſt adeo non ſordida vel parum decora, ut eam non abhorruerit ipſe penſiculatiſſimus verborum elector Clariſſimus D. Gronovius, & quidem in elegia ſacra, ſive ſacerrima, quae ab argumento dicitur Heidanica:

Quicquid habet concluſum, huc, myſtica, confer, Eleuſin,
Huc Romana Deae confer Operta Bonae.
Quiſquilias dices. Haec ſunt myſteria vere
Maxima, & omniſcio congrua ſacra Deo.

ſenſus

ſenſus eſt; Myſteria Cereris Eleuſinae, & ſacra Bonae Deae, quae Clodius violavit, fuiſſe tantum meras *quisquilias*, ſi conferantur cum myſteriis verae religionis Chriſtianae. in re tam ſeria, & in comparatione tam apte tamque judicioſe quaeſita, tu audebis damnare vocem *quisquilias*, quaſi Clariſſimus D. Gronovius eſſet unus ſcriptor quisquilioſus? pudeat te, Eraſme, pudeat te: ſi modo non pridem totus depuduiſti. At tu etiam pergis me irridere, & infamem digitum oſtendere, quia dixi quod urbs Dordracum eſt *doctis tota referta viris*. at ego hoc dixi propter abolendum ſcomma veteris Eraſmi, tui cognominis; qui ſcripſit, quod, eſſendo Dordraci, nullum iſtic invenit hominem doctum, praeter unum bonum ſeniculum in Aggere Arundinaceo. nunc ibi eſt uterque Jenſius, qui ſunt ſinguli multorum inſtar. An tibi diſplicet phraſis, & ideo rides? ego vero claſſicum authorem habeo, qui dicit:

> *Quocunque adſpiceres, fuit olim terra referta*
> *Tam doctis Friſiis, at mage nemo, piis.*

tum alibi:

> *Praeter docta nihil Friſiis videatis in oris*
> *Agmina, quoquo oculos flectere forte juvet.*

neque tamen ideo ſuccenſuerunt Hollandi: veluti nunc tu facis, qui verba mea per ſummum facinus detorques ad tuam Leidam. cui tamen urbi ego haud quaquam inclementer dico, neque adeo vellem dicere pro una tonna auri, ſive pro centum mille florenis noſtratis monetae. Tamen tu iterum inſtas, monendo quod ſecunda in voce *diuturno* male a me eſt producta hoc verſiculo,

> *Ille diuturno carus tibi temporis actu.*

At quae tandem furiae te agitant, mi Eraſme? es poëta laureatus, ſed inter Sardos, quorum alius alio nequior, & ipſe nequiſſimus. tune poëta laureatus? falſo igitur cecinit Sulpicius Lupercus:

> *Nemo coronatur lauro, niſi dignus, & idem*
> *Sit varia rerum cognitione valens.*

tu enim non es valens cognitione unius metricae. nam ignoras, quod ſecunda in *diu* eſt longa propter communem regulam, *V finita producuntur omnia, ut cornu, crepitu, flatu.* quomodo igitur tale *V* poteſt fieri brevis in *diuturno?* id profecto eſt totaliter impoſſibile, ſive ſtricte ſumendo, ſive late. non credis etiam Clariſſimo D. Gronovio, cujus tibi authoritas ſola ſufficere debebat? is certe Vir multo πανταπάσιν produxit in illa mellitiſſima oda ad Praeſtantiſſimum D. Jenſium:

Ut diuturno meritus fuiſti
Temporis actu.

At enim, dicis tu, Ovidius ſepties corripuit. At enim dico ego, Ovidius ſepties peccavit. niſi potius fuerit dicere, quod iſta ſeptem Ovidii loca in morbo cubant; & ſeptemplicis medici indigent cinae. Certe quod Ovidius eſt valde adhuc mendoſus: etiam poſt illam celebrem recenſionem Nic. Heinſii; vel hinc apparere poteſt, quod Clariſſimus D. Gronovius nuper voluit edere unum novum Ovidium, adjunctâ ſibi operâ Petri Francii, qui tunc temporis erat vocatus in Almam Academiam Leidenſem ad fiendum iſtic unus Vir Clariſſimus. Sed quoniam praedictus Petrus Francius (ſive *Pieter Frans*, uti eum vituperative nominat Clariſſimus D. Gronovius in una nuperrima littera ad D. Vitriarium) pro tunc noluit uti ſua bona fortuna; ideo etiam Clariſſimus D. Gronovius abjecit totum iſtud conſilium editionis Ovidianae; & ſcripſit interea Notas notabiliſſimas in Harpocrationem, & in Pomp. Melam. Pergit calumniator, (antiqui Valerii per metatheſin literarum vocabant *diabolus*) carpendo faeditatem mei verſiculi,

Et nunc ipſe equidem hymno perfunctus amoeno.

credo, vult dicere quod in media ſectione debuit eſſe eliſio. Tu vero neſcis, o poëta laureate, quod H litera produci facit antecedentem ſyllabam brevem; & per conſequentiam impedit etiam eliſionem. ſed ego nolo tibi plura docere: & aliquid etiam reſervabo pro me ipſo, quo uti potero in occaſione. Sed fortaſſe hoc non intendis, & vis aliquid culpare in voce *amoe-*

no,

no, quod eſt epitheton τῷ *hymno.* an cantus non dicitur *amoenus?* Quintianus Stoa:

Vincitur & Thamyras, cantu qui victus amoeno.

an non Muſa dicitur *amoena?* certe legitur in Petronio Nodotii:

Janus & Ewichius Medicinae Doctor amoenas
Dilexit Muſas, quando ſuperſtes erat.

an non ipſa Poëſis dicitur *amoena?* ita ſane omnes poëtae conſentiunt, etiam tu ipſemet. Diſertiſſimus Puppius unus eſto omnium inſtar:

Andreias Theodorus amat me propter amoenam
Gulielmum Puppam Praeco Poëſin uti.

nunc vero, an non hymni dictantur a Muſis? an non ſunt certa ſpecies poëſios? an non cantantur cum dulci ac tremulo modulamine? Ergo. poſtea vellicat verbum *dico*, (ſcilicet primae conjugationis, quae facit infinitivum in *are*) ſiſflando hoc meum dictum,

Hos tibi ego verſus, Pallas amica, dico.

neque intelligit miſer, quod ego intendo alludere ad pulcherrimum epigramma quod ſtat ſub imagine Clariſſimi D. Gronovii in perfectiſſima ſua editione Ammiani Marcellini: etiam in illa pulcherrima M. T. Ciceronis quae eſt in quarto ſtampata:

Hanc tibi, ut exhilaras, frontem Gronovius alter
Daedaleo ſculptam, Pallas, in aere DICO.

Varro quoque Terentius, ille togatorum doctiſſimus, dixerat in [illegible]:

Dent operam, ut ſtudium parva juventa colat;
Neve Scholas dictas contemnant hi Triviales:
Artibus at pueros, pignora cara, docent.

quid tandem erat in hoc verbo tam granditer admirandum? ſed *rimanti telum ira facit*; etiam invidia, etiam craſſa ignorantia. Ultimum arietem impellit noſter aries in belliſſimam ac Latiniſſimam phraſin *incedere annos*, quaſi hoc eſſet parum Romanum. miror, o Eraſme; ſed & ſimul indignor, tuum ſtuporem, tuam malevolentiam, tuam aeruginem, tuam loliginem. Vita humana rectiſſime itineri comparatur, ſive peregrinationi. quod argumentum integris libris pertractarunt multi eruditi. & quidem de peregrinatione maritima vitae humanae comparata extant elegiae cultiſſimae Sidronii Hoſſchii. Jam vero, quod in itinere ſunt viae, id in vita ſunt anni. dici autem Latine *ire viam*, *ambulare viam*, *incedere viam*, nemo ſapiens unquam negavit. pari ratione dici *incedere annos*, quis eſt ille infrunitus Phryx ſive Amſtelodamenſis, qui audebit negare? ecce Ovidius dixit L. 4. Art.

Dum licet, & veros etiamnum inceditis annos.

prout quidem locum aegrotum feliciſſime ſanavit Clariſſimi D. Gronovii Podalyritas Machaonia in notis Cebetinis, idque ſine ullo exemplo veteris aevi. quod in tali locutione fuit valde ignorax. Atque ita tandem, o Eraſme Regie, poëta Daphneate, pervenimus ad finem tuae elegiae famoſae, ſcandaloſae, & calumnioſae: & ſic quidem pervenimus, ut planitus corruerint omnia fundamenta tui maledicti operis; in quo non meam tantum reputationem voluiſti terrire & denigrare, verum etiam per meum latus cuniculis ſubterraneis, tanquam unus Talpa proditorius, ipſum Clariſſimum D. Gronovium a tergo voluiſti ſupplantare. ſed tantum voluiſti. Conſervas enim ubique gloriam aritudinis. Utinam tibi deus aliquis non bene advocatus ſuſcitet talem terribilem antiſophiſtam, qualis eſt Celeberrimus D. Gerardus Havercampius, qui nunc glorioſe ſuccreſcit in ſpem Eccleſiae tanquam athleta infatigabilis & pugil indomabilis tam in pugna orali quam in certamine ſcripturali! Sed quoniam Dominus ſuus genitor non voluit pati, quod amplius ſuum tergum iracundiae alienae ſupponeret ſuccedaneum, ſcribendo ipſi GAVE CANEM; & non eſt ſperandum poſthac, quod eruditiſſimus praemen-

tio-

tionatus Dominus Gerardus erit inobediens contra ſuos D. D. parentes, & fiet transgreſſor quinti praecepti: ideo ego indignus & minimus meorum fratrum, coactus ſum arma ipſus in manus ſumere, quamvis valde invitus & magna cum repugnantia cordis. Tamen ſpero (modeſte id loquor ac ſobrie) quod taliter pugnavi tecum, o Eraſme, ut mihi aliquatenus liceat gloriari cum illuſtri poëta Jan Pieterſz. Beeltſnyder ſcribente contra L. B.

Myn vriend, 'k heb los gemaeckt het fondement en ſteunſel
Van uw geheele dicht: ick bid u, maeck geen kreunſel,
Noch fronſſen in 't Voorhooft.

In gratiam nobilium Polonorum pro nunc Leidae ſtudentium, & ab Campidoctoribus ſuis gnaviter militare diſcentium contra Coſaccos & Tartaros Petrullianos, haec ego Latinaliter tranſlatabo verſibus Iambicis comicis. *in verſiſciolis.* legite, & videte an eſt bene;

Tam male fundatus es, Eraſme, in tua cauſa,
Ut poſthac fieri debebis una magna pauſa,
Sed noli propterea tuum cor contriſtare:
Nam ego tibi reddidi meum QUIA *pro tuum* QUARE.

in facto, D. poëta, vides nunc quam eſt lubrica glacies, quando unus vult tam odioſiſtice tamque incommodiſtice explicare ſuum theſaurum locorum communium criticorum, & diſputare quodlibetice in proſodia Latina. Credo ſane quod non deſcendiſſes petitor in campum tam temerarie, ſi prius fideliter tecum ruminaviſſes hunc notabilem locum L. Atteji Capitonis, qui eſt in fragmentis Stobaei:

Indocti quaerunt, ridendo carmen, honorem;
Eſſe decus reputant, nil didiciſſe, rudes.
Prae ſe ſaepe ferunt, quaſi judicium bene norint
Carmine de alterius ferre mehercle Viri.
Huc caput inflectunt, illuc oculosque reflectunt;
Et torquent, uſi ſcommate, labra ſua.
Prae ruditate placent magis hi ſibi, quam bene docti,

Queis caput eſt multo ſaepe labore dolens.
Syllabicum vitium indocti fortaſſe putabunt,
Syllabicus quando non tamen error ineſt.

hic vides tuam imaginem, Eraſme Regie, in brevi tabella depictam ab uno Luca Leidenſi non inepto. Sed quis eſt amabo ille Comes Palatinus, qui daphneavit te in unum poëtam laureatum in actu, antequam tu in potentia eſſes laureabilis? ille Comes poterit eâdem operâ laureare omnes marionettarum magiſtros, omnes Janos Potagios, omnes Tysbeulingos, & omnes Hanſſoppos, qui ſunt in tota Europe. nam, ut hoc etiam diſcas in tranſcurſu, Pomp. Mela ſemper ſcribit Europe; non autem, ſicut alii ſegniter exarant, Europa. etiam Horatius hoc didicit ab Mela:

Vilis Europe, pater urget abſens

tune es poëta laureatus? & Praeſtantiſſimus D. Jenſius non eſt, ſicut neque ipſe ego ſum?

Hi ſunt invidiae nimirum, Regie, mores,
Praeferat indignos ſemper ut illa bonis.

ideſt, Eraſmos Regios Joannibus Jenſiis, ac Rutgeris Hermannidis. Sed nondum te dimitto, cavillator odioſiſticiſſime. explorabimus prius atque examinabimus competenter, an ego verum dixi & non ſum mentitus, quando dixi quod tu captas bonam gratiam Clariſſimi D. Gronovii cum complimentis proditoriis, & cum blanditiis labialibus, quae abſunt quam longisſime a cultu veramente cordiali. in initio ipſo tui peſtiferati carminis ponis hoc diſtichon;

Qui mare, qui terras late virtutibus imples,
Notus & Eois, notus & Heſperiis.

ſecundus verſus eſt valde caliginoſus, & durae digeſtionis. non eſt enim ulla plaga terrarum, quae non poſſit dici, juxta ſuum ſitum reſpective ſumtum, Orientalis, vel occidentalis. ex gr. Ooſt-Frieſlandia, & Weſt-Frieſlandia. ſic loquitur Poëta Geographus, qui Dionyſium vertit Latino carmine:

Eois Ephraim natus Dirkinus in oris
Ooſthuyſae Friſius curat ovile ſacrum.

& de parte altera idem vates:

Tandem cum Boreae Batavus pervenit in oras,
Seu Friſiae occiduae vir pius ille plagam.

or non eſt credibile quod tu tam ſtricte intra limites regionis non magnae voluiſti includere magnitudinem famae Clariſſimi D. Gronovii. igitur magis eſt credibilius, quod tu tuum *Eois* poſuiſti pro partibus Indiae orientalis, in quibus regnat noſtra Belgarum Compania Ooſtindiana. Et ſic quidem poteſt bene explicari tua theſis, quoniam iſtic ſunt complures Belgae literati; ut D. ten Rhynen, D. Heinſius, D. Alſemius, & etiam alii in quantitate magna. Praeterea etiam proficiſcuntur iſtuc animi gratia, cum una muſqueta in humero ut ſint tuti ab incurſu ferarum beſtiarum, complures D. Studioſi qui in Academiis olim didicerunt nimium gnaviter militare, vadendo de nocte in platea, caſſando civium vitra, caſtrando pileos Walonum, pugnando contra rondas viridium Calviniſtarum, & deſignando plurima talia facinora Heroica, tantum ut poſſint fieri boni Politici, atque eximi magno ſuo merito de plebe hominum pedanticorum. Sed quid facies cum tuis *Heſperiis*? nam ſi hic cupis intelligi inſulas Caribicas ſive Cannibalicas, vel Tapuyos Braſilianos, vel etiam Capoverdam, vel Canadam, vel Berbicias, vel Surinanam, vel tabaciferam Virginiam, &c. nae tu nimis magnus nugator eris. Nemo homo iſtic legit Exercitationes Academicas de pernicie & caſu Judae; Diſquiſitionem de icuncula Smetiana; de Pallacopa; de argutiolis Iſ. Voſſii; de cavillationibus Raph. Fabretti; de locis Geographicis T. Livii; de erroribus Joach. Oudanii; de antiqua verſione Brabantica Pinacis Cebetini; de mala fide Nic. Heinſii in citandis lectionibus librorum manu ſcriptorum; de gargaridiatione exemplorum ex poetis ejuſdem viri nullo cum judicio & parcimonia, &c. &c. Hi tales boni libri non faciunt nidum delectationis in cacabo iſtorum Euchoniſtarum. vivunt iſtic moribus antiquis: tantum unusquisque attendit excolendo agro

 ſuo

ſuo, & tenendis in officio ſuo ſervis, ſive ſclavonibus. Haec eſſendo vera, valde hiabit tua propoſitio, inchoata cum tanto faſtu: niſi tu fortaſſe *nel petto* intellexiſti Hiſpaniam, quae fuit dicta ab antiquis *Heſperia ultima*, propter ſuum ſitum occidentalem. Horatius L. 1. od. 36.

Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima.

Et ſic etiam aliqualiter ſervari poteſt tuus hiulcus verſus: quoniam conſtat quod Clariſſimus D. Gronovius fuit unum bonum tempus in Hiſpania, quodque inde reportavit illud inſigne exemplar membranaceum Polybii, emtum in auctione publica Mantuae Carpetanorum in praeſentia & conſpectu D. Alſemii praementionati. Hujus commorationis Hiſpanienſis etiam meminit Petrus Francius, in una longa epiſtola, quae incipit,

O qui victa Pyrenei poſt frigora montis
Hiſpanum Grajas ducis in arva Deas.

hactenus de tuo pentametro. in verſu longiore non fuit ſatis tibi de *terris* loqui, quas implent virtutes Gronovianae: adjeciſti etiam *mare*; in quo certe nullae ſunt Academiae, vel Scholae Illuſtres, prout bene ſunt in terra. Haec eſt mera adulatio, & σμικρεχνία. Dic mihi, Eraſme, ſed tua fide: an tu putas quod Mr. de Neſmond, vel Capitaneus Jan Bart, vel etiam quivis Kapérus de Fliſſinga, habeat ullam notitiam virtutum Gronovianarum? vel quod Dominus ſenex Nereus cum ſua venerabili barba legit catalogos miſſae Francofurtenſis, aut Diaria menſtrua eruditorum? abi, abi cum iſtis deliciis civilitatum Gallicanenſium. Hoc tamen eſt parvulum quid, prae eo quod mox ſequitur:

Quos inter cunctos velut aſtrum nobile fulges.

nimirum, inter omnes celebratos viros, quibus tota Leida eſt referta, effulget unus D. Gronovius velut conſtellatio aliqua lucidiſſima. nam ea eſt notio vocabuli *aſtrum*, quod clare docet Virgilius L. 1. Georg.

Id-

Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundo Sol aureus aſtra.

eſt itaque *aſtrum* idem quod *ſidus*. & cum omnes ac ſinguli D. D. Profeſſores omnium ac ſingularum facultatum junctim ſumti, tanquam totidem ſtellae, dici poſſint efficere unum nobile aſtrum, ſive ſidus; tu cum magna invidia Clariſſimi D. Gronovii, huic ſoli dediſti quod erat omnium ac ſingulorum communicativum bonum. nihil nunc dico de tuis malis meritis erga meam perſonam: iſta tibi omnia perdonata ſunto, propter meum ſingulare ſtudium mutuae charitatis ac fraternitudinis. de reliquis autem quid facies? optimum eſſe cenſeo, (ſi tamen in animum tuum ſubire poteſt poenitudo peſſimi tui conſilii) ut relinquas Hagam cum nudis pedibus, in nuda camiſia, cumque cereo ardente in manu dextera, & cum fune in collo, atque in tali habitu facias unam amendam honorabilem ante ſummum altare Minervae Lugduno Batavae, tundendo tuum pectus cum validis pugnis, & exclamando pitoyabiliter cum alta voce PECCAVI, PECCAVI, PECCAVI. id ni facis ilico, mi confrater laureate, res tuae ſtabunt valde male. & periculum eſt grande, ne aliquando comedaris a canibus Leidenſibus: qualiter olim accidit Euripidi, redeunti a coena regis Archelai. vel ne includaris in aliquod ergaſtulum, ubi homines vivos incurſare ſolent mortuae ulmi: id quod accidit Philoxeno viro honeſtiſſimo, ſed diſgratiato apud Dionyſium Juniorem. vel ne pereas morbo pedicolari: ut olim Pherecides tragoedìarum poëta, & Alcman cantilenarum componiſta celebris. Vel ne tibi teſtudo, valido aquilae ictu e nubium excelſitate expulſa, cerebrum comminuat: quod factum eſt bono ſeni Aeſchylo. Vel ne diſcerparis ab ebriis mulieribus, quae redeunt a compotatiuncula Elſæ vicinae jam modo ſcitum puerum enixae: ut olim venerabilis Orpheus Calliopes & Apollinis F. vel ne una cum Junone tua extinguaris ruina tecti: velut Eupolis Niciae F. vel ne a frybuiteris aut ſnaphaniis in via correptus miſerabiliter trucideris: ut Ibycus. Vel ne phreneſi inſuriatus praecipites te de aliquo ſaxo in mare: quod fecit noſtra delicatula Sappho. Vel ne natando in aliquo exiguo fluviolo, infeliciter ſubmergaris: ut Menander

Co-

Comoediographus, & Marullus Tarchaniota. Vel ne navigans in Indiam Orientalem devoreris ac vivus deglutiaris ab irato mari, furentibus orcanis: ut noſter Terentius. Vel ne a morſu venenati draconis medius dirumparis: tanquam Idmon in Libya. Vel ne nimio riſu praecipitatum effundas ſpiritum: ut reverendus Sophocles, ac Philippides Comicus, & Philemon. vel ne in ipſo dulciſſimo ac honeſtiſſimo actu veneris conceſſae, prae nimietate ambroſiae carnalis ac titillativae, ibi deponas animam, ubi primulum receperas: ut Corn. Gallus, & Pindarus ille Thebanus. vel ne amoris poculo ſive philtro in furorem agaris tibique ipſi inferas manus: ut Titus Lucretius. vel ne in comedendo poddingam unus acinus uvae paſſae ſtrangulet fauces tuas: quomodo ſatis doloroſe periit aedificabilis Anacreon. vel ne fame atque inedia extinguaris: qualem martyrii coronam Ariſto poëta retulit ab humaniſſimis Athenienſibus. vel ne concluſus in cavea ferrea ſuſpendaris ab una alta turri, abſumendus iſtic a muſcis & culicibus, qui ſunt in Catalectis Virgilii: qualiter factum eſt Chaerilo, & Knipperdollingo Leidenſi veſtifici. vel ne hiatu terrae abſorbearis totus vivus: ſicut Amphiaraus. vel ne ſagitta confoſſus intercas, ut Lychophon ὁ τραγικός: aut glande muſquetaria, ut Garcilaſſus. Vel ne a verola Hiſpanica exeſus, ſupervivas tuis ipſius genitalibus: ut Franciſcus Maria Molſa, & plures alii honeſtiſſimi ἄνδρες ποιηταί. vel ne vivus comburaris in pulverem: ut Aonius Palearius, & Jacobus Bonfadius. vel ne faucibus laqueo eliſis pendeas publice in patibulo: ut Nicolaus Francus, & Barnabas Briſſonius. Aſpice, mi dilectiſſime confrater in Apolline, (nam ego me volo repentire de omni offenſa & rancore, ſicuti non deſpero quod tu etiam facies poſtquam nunc ſufficienter exhalaviſti tuam choleram, & non es amplius atrabilarius) aſpice quam varia fatorum genera ſint deſtinata pro miſeris poëtis: & cogita, quam multa, ſint in iſtis, quae poſſunt cauſare ut unus intereat ſine confeſſione, ita quod poſtea non ſit ſibi licitum ſepeliri in terra ſancta. & tunc eſt miſerabile atque ejulabile, quando dicunt praetereuntes ad invicem: ecce, *naber Hans*, iſtum poëtam, qui ita morixit qualiter vixit. Quocirca, mi cordialiſſime domine Collega, reſi-

piſce dum adhuc tempus eſt: neque enim ſemper erit tempus. Cogita, quam dulce & quam jucundum eſt habitare fratres in unum. nam *fratres in adjutorium tempore tribulationis.* Eccleſ. 40. & rectiſſime dicit Pſaltes:

Quam bona, quam nimis res
Eſt ſuavis, vos rogo teſtes, modo diſſidentes
Quae coit inter arcto
Vinculo junctos bene concordia paxque fratres!

Eſt autem vera fraternitas, *quae fratrem corripit diſſolutum; quae praeſenti obſequitur, abſentem non rodit: ſano applaudit, infirmum non deſerit: placatum non provocat, iratum ut majorem metuit.* ſicuti valde conſolabiliter loquitur S. Rabanus ſuper Math. ult. cap. qua gemmula obſignans, cordialiſſime D. Eraſme Regie, opto tibi bonam mentem, & bonum annum cum bono appetitu, veluti etiam facio dilectae tuae coſtae, ſi quam habes. Nunc vela converto ad iſtum Anonymum Dordracenſem, de quo ſupra mentionavi: quanquam vix credo quod ipſus eſt Dordracenſis, ille multa in mea perſona vituperat; multa in meo carmine irridet; multa culpat in meo ſtylo. Ego vero non conſtitui reſpondere ad convicia & ſcommata perſonalia, neſciendo plane qualis perſona ſit ſua Anonymitas; cui hoc unum pro reſponſo ſerviet, quod legitur apud veterem poëtam, in fragmentis, quae edidit neſcio quis Stephanorum,

Non ego rixando, at frango ſtudendo caput.

multa habet, (ut veniamus ad meam elegiam ſive meum hymnum) quae jam ſupra dilui ac defendi contra meum pro nunc collegam & confratrem D. Eraſmum Regium poëtam laureatum. igitur illa non repetam, dicendo duntaxat de pauculis quae reſtant. reprehendit quod ſecundam in *fere* brevem faxerim,

Audeat ut contrà te fere nemo loqui.

neque attendit quod ſimiliter dixerat Clariſſimus D. Gronovius: G *vix*

vix paucula mundus
Aſpexit luſtris fere quatuor edita.

an non *fere* eſt ejusdum quantitatis, cujus ſunt *male* & *bene?* inde apparet me bene corripuiſſe, ipſum autem id Ariſtarchatum eſſe valde male. deinde dicit, ſecundam in verbo *innotuit* (hoc habet ex Dermaſio) debere produci. imo vero debet corripi. Clariſſimus D. Gronovius:

Omnibus innotuit, Iſala moeſte, locis.

an non verbum *innoteſco* derivatur a vox *notus?* an non derivata ſervant quantitatem ſuorum primitivorum? atqui prima in *natus* eſt brevis. Ovidius L. 1. Met.

Emittique notum: madidis notus evolat alis,

Virgilius L. 1. Aen.

Atque utinam rex ipſe, noto compulſus eodem,
Adforet Aeneas!

Poſtea culpat, quod primam in *propheta* produxi, cum debeat (ſecundum ſuam ſententiam) corripi. contra eſt, mi bone Domine, & certo debet produci. Clariſſimus D. Gronovius in elegia Heidanea:

Traximus auditu vocum, propheta, tuarum.

non neſcio quod quidam corripuerint: ſed illi erant fere poëtae eccleſiaſtici. ita Sulp. Lupercus:

Et Jeſchabbja, Jechizkija, & Jermeja Propheta.

hinc ſe vertit ad meum *ſicut*, in hoc verſiculo

Quae ſicut Orpheicae, &c.

Verum, Nobiliſſime D. Anonyme, quid hic dicere vult veſtra criticatio? nam ſecunda, quod apparet manifeſto, eſt brevis tanquam in *velut*: & prima eſt brevis, tanquam in *ſiquidem.* Ovidius:

Quae mihi ventura eſt, ſiquidem ventura, ſenectus?

ego

ego autem pro me habeo authoritatem fortiſſimam Clariſſimi D. Gronovii in Heroiciſſimo Heroïco Kinſchotiano:

Corporis exanimi ſceletus ſicut abditur antro.

Si vos mihi objicitis, quod pater Ennius dixerit:

Sicut fortis equus ſpatio qui ſaepe ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Ego vobis reſpondebo, quod ſua Reverenda Paternitas paulo liberalius ſuper menſam ſe invitaverat bono liquore Hochemenſi, ad digerendum aſellum arefactum, quem comederat cum moſtarda. & in eo me juvabit Q. Horatius Flaccus, teſtimoniando quod

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda;

id eſt, quando bene coenaverat: quoniam ante meridiem non ſumebat vinum aduſtum, uti faciunt aurigae Goudani. Si tamen vultis, D. Anonyme, perſiſtere in veſtra opinione circa authoritatem Ennianam: antea debebatis mihi probare cum authenticis teſtimoniis, quod iſte bonus ſocius Ennius fuit aliquando immatriculatus in aliqua Academia rite privilegiata, & quod fuit aliqualiter graduatus. alias enim, ſive aliter vel alioquin, nullo modo poteſt ſtare contra unam perſonam conchalem, quae propter multitudinem ſtipendiorum promeruit titulum *Clariſſimatus*, ſicut ſcribitur in noſtro Codice, & bene explicatur ab Alciato L. 3. Diſtinct. c. 4. Sed quod vos tam multa ridiculoſa congeritis ſuper verbo *concha*; in eo (praefiſcine) veſtra Dominatio habet malam gratiam. quando enim unus Clariſſimus dicitur legere ex concha, tunc non praeſumitur legere ex concha ſuae Gretulae. veluti poëta iſte crediſſe videtur, qui fecit unum madrigale hoc initio:

E concha Archaicus clamat ſe dicere velle.

meliora nos docuit harum literarum Autocrator & magnus Mogol in Solinum p. 1211. ſeqq. edit. Pariſ. quae vos videre

 po-

poteſtis, ſi placet: quanquam credo quod bene vidiſtis, non enim eſtis tam ſimplex quam vultis apparere ab extra. Pergitis deinde me tribulare & lappiſare cum meo hoc verſiculo,

Atque ipſa inſignis laude tyrocinii.

dicendo, quod prima in *tyrocinii* ſemper producitur. fefellit vos ratio veſtra, mi Domine, nam ſemper corripitur. Clariſſimus D. Gronovius in ſupereminentiſſima elegia Drelincurtiana:

Filius ad tantos referens veſtigia paſſus
Ipſa jam radiet laude tirocinii.

ubi obiter moneo, quod Vir iſte undecunque oculatiſſimus non vidit hic mendum typographicum: nam ſcribendum erat *tyrocinii.* cujus rei cauſas ſane quam luculentas reddit Joannes Tortelius Aretinus in opere doctiſſimo de Orthographia. ſed haec, ut dixi, obiter. nunc ergo debetis ſcire, mi Domine, quod *tyrocinium* derivatur a vox *tyro*, quae vult dicere unus novus miles. quales ſunt noſtrates Waartgelderi. or cum prima in *tyro* corripiatur, quomodo vos poteſtis credere quod prima produci debet in *tyrocinium*? an nunquam legiſtis apud Virgilium L. 4. Aen.

quid bella tyro ſurgentia dicam?

ubi exponit Gloſſa ordinaria: *quid ego tibi commemorem quam ſtudioſe exerceatur novus miles in uſum belli futuri ac jam tumeſcentis?* Germanique minas. *& la mine fiere du ſoldat Allemand?* addite nunc, quod Virgilius iterum corripit in eodem libro:

non ante tyro deſpectus Iarbas.

& Martialis L. 8.

Mittitis & media vellera cocta tyro.

ubi *vellera* ſignificant pelles, ex quibus milites Romani faciebant ſua tentoria quae pelles in eum uſum antea decoquebantur in Balneo Mariae, ut exſudarent ſuam pinguitudinem na-

naturalem. Deinde, mi Domine, quare vobis ita peregrinum videtur meum illud *ſiſtere laudem auctori*? debebatis recordaviſſe, quod Clariſſimus D. Gronovius dixit, in elegia Groenendiciana,

> *Hinc ferias pia mens celebrans, hinc otia, laudes*
> *Nititur auctori ſiſtere ſeque Deo.*

certe non debetis mihi objicere, quod ego ſum parum diligens in addiſcendo Latino Leidenſi. nihil mihi prius eſt, nihil antiquius,

> *quam Magni ſcripta Gronovî*
> *Nocturna verſare manu, verſare diurna.*

Tum libenter ſcirem quare vos me rogatis, mi Domine, an *fixus per medullas* eſt congruum Latinum? certe equidem eſt congruiſſimum: nam Clariſſimus D. Gronovius in illa ſua oda multo bene elaborata, quae vocatur Jenſia, ita expreſſe ſcripſit:

> *Tu mihi cordi es, mea cura, Jenſi,*
> *Tu manes fixus mihi per medullas.*

ubi debetis ſubintelligere per ellipſin, *cum uno clavo trabali*. etiam ipſus Plautus ita loquitur Aſinar. 1. 3.

> *Fixus hic apud nos eſt animus tuus clavo Cupidinis.*

Et quare, amabo, ridetis cum meo *ſemper ſic erit uſque*? an non eſt bonus ac completus pleonaſmus? quem ego, ſicuti plurima alia praeclara neque publici ſaporis, didici ex meo magiſtro Clariſſimo D. Gronovio, ſic ſuaviter cantillante:

> *Si quid id eſt, plenum geſtamus imagine tanti*
> *Nominis (& ſemper ſic erit uſque) animum.*

& quid habetis tantopere criticare ſuper *alta* Jenſii *cathedra*? ego iſtic non intendo loqui de cathedra Conrectorali, quae ſtat in ſchola; verum de concha honorabili, unde Praeſtantiſſimus D. Jenſius pronuntiavit ſuam orationem, quando auſpica-

cabatur novae ſuae profeſſioni ſcholaſticae. Vos debebatis, Domine amice, legiſſe in eadem oda:

Incipe noſci,
Incipe, o, noſci ſupereminenti
E loco.

hoc eſt bene aliud quid. locus, quem occupaverat ſive conſcenderat Praeſtantiſſimus D. Jenſius, dicitur *ſupereminens*: cum S. R. E. Cardinales dicantur tantum *eminentiae*, non vero *ſupereminentiae*. Poſtea rogatis me cum uno alto ſupercilio, an ego in omnibus conſtituerim ſequi proſodiam mei Gronovii? an etiam velim primam in *fabula* corripere, & ſecundam in *exuberans*? qualiter fecerit rubicundulus meus magiſter in Heroico carmine ad Groenendykium ſuper memorabili illo nummo Studentico A. 1684.

quum literis alter
Phallophori prope nos fabulam, miracula at alter,
Quae tellus haec noſtra parit laudanda relatu,
Conciperent.

item:

ſalve ſuboles Groendiquia tanquam
Vere novo exuberans, gentiſique ad decus oeſtro
Graſſatura.

Cum tamen Virgilius dixerit L. 1. Georg.

At ſi luxuria foliorum exuberat umbra.

& L. 2. Georg.

Nec requies, quin aut pomis exuberet annus.

& L. 7. Aen.

Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis.

quae verum faciunt dictum Iſ. Voſſii, quod Gronovius ſit valde tiro atque etiam hoſpes in lectione Virgiliana. quantum ad

ad τὸ *fabulam*, quod Petrus Francius (ut jam omnes alii poëtae taceantur) in belliſſima epiſtola ad hunc ipſum Gronovium ſcripſerit jam pridem:

Fabula trita quidem, ſed nos inventa monere,
Irati Phaëton perditus igne Jovis.

regero ad objectionem primam, quam facitis mihi, Domine Anonyme, quod ego nolo proceſſum intentare Virgilio Maroni: ipſe viderit quid ſcripſit, vel quid dixit. Tamen, cum ejus opera ſint edita poſt mortem authoris, credibile eſt fuiſſe plena ac ſcatuiſſe mendis typographicis. quod etiam verificatur propter tot novas recenſiones. & ſic poſſumus pie credere, quod tres iſti loci adducti occultant tria menda typographica. nam ego firmiter ſtatuo & bene volo jurare, quod Clariſſimus D. Gronovius non eſt minus verſatus in proſodia Smetii, quam fuit ipſe Virgilius p. m. quantum ad ſecundam, mi Domine; vos non poteſtis ignorare quod praelibatus P. Francius eſt tantum unus poëta mediocris, ita quod non debet trahi in conſequentiam ipſius authoritas. & hoc notabiliter oſtendit nuper illuminatiſſimus D. Cajus Valerius Accinctus. quomodo autem prima in *fabula* poterit eſſe longa, quae eſt brevis in *fabulla*? Martialis L. I.

Sed dum te nimium fabulla laudas.

Vituperatis deinde, quod Clariſſimus D. Gronovius male ac ſcurriliter loquitur de mortuis, etiamſi fuerunt ſui Collegae, qui itidem gaudebant titulo Clariſſimatus, ut Theodorus Ryckius, &c. &c. &c. &c. &c. &c. &c. Ego vero miror, mi Domine, quod vos eſtis tam parum peritus rerum mundanarum. an non eſt tutius ac minus periculoſum, male vel etiam ſcurriliter loqui de mortuis, quam de viventibus? Carteſiani hodie loquuntur peſſime de Domino Ariſtotele, cujus oſſa requieſcant in pace. id ſi feciſſent ipſo Ariſtotele vivo, nae illi peſſime conſuluiſſent rebus ſuis? nam Dominus Ariſtoteles habuiſſet ſtatim unum efficax adjutorium in brachio ſaeculari Alexandri Magni: quoniam ipſe fuerat praeceptor ſuae Sereniſſimae Majeſtatis. & hoc bene patuit, quando naviganti in una parva cymba Alexandro, & animi gratia huc illuc remiganti

ganti, infelix Chaerilas voluit praelegere fruſtum unius ſui libri, quem compoſuerat contra Ariſtotelem, & in quo multas intexuerat novitates e dogmatibus Carteſianorum. nam eum Rex arreptum de cymba deturbavit in medium Rhenum, ut iſtic nataret eſca forellis & cabelaviis. Sic etiam Clariſſimus D. Gronovius perſonato Franciſco Dermaſio pepercit, quamdiu is fuit in vivis: quamvis eſſet ab eo provocatus epiſtola bene longa, & bene dentata. Nolite tamen putare, quod idcirco praedictus Dominus non auderet impetum facere in homines viventes, tanquam unus urſus famelicus, aut unus lupus Lycaonides, quem alta nix coëgit ſuum victum quaerere in via publica. Evolvite tantum monumenta ingenii Herois mei; & videbitis bene aliter. Quid? an non nuper in Memoria Coſſoniana pulcherrime debacchatus eſt in F. Henricum Noris, qui pro nunc cluet S. R. E. Cardinalis? itaque, mi Domine, deſinite vituperare inſignes iſtas pugnas praeliares D. Gronovii contra larvas ac lemures; ne & vobis (nam vos, credo, adhuc vivitis) caligo veſtra, qua circumfundimini, haud quaquam proſit, & cum magno veſtro malo diſcatis, quam infeliciter ſibi proſpiciat quicunque hujus

Fumantem vivi naſum tentaverit urſi.

Veniamus potius ad dilata modo *frigidula ſacra*, quae vos, Domine Anonyme, exagitatis tam blaſphemialiter, quaſi nunquam prodiviſſet nobiliſſima epiſtola zeloſiſſimi D. Gerardi Havercampii, in qua ſunt multa, quae vos fruſtra quaeritis in Calepino veſtro undecim linguarum. QUID erat opus (ita propemodum vos Anonymi loquimini veſtris propriis verbis) in confuſaneae doctrinae libello ſuper voce ΜΕΓΑΣ, oſtendere ambitu puerili Jovem ut Graecis μέγαν, ita Latinis *magnum* fuiſſe appellatum? quis hoc unquam negavit? quis non *Jovem Optimum Maximum* ad faſtidium uſque legit in veterum monumentis, atque ipſis etiam lapidibus literatis? quod ſi tamen vox ipſa *magnus* tam erat neceſſaria fulciendo huic novo invento; cur non potius e Propertio adductus eſt locus purus atque integer, neque ullius ulceris ſuſpectus?

Pro quibus optatis ſacro me carmine damno.
Scribam ego: PER MAGNUM SALVA PUELLA JOVEM.

nimi-

nimirum ne periret huic Lexiphani occaſio commoda explicandi theſauros reconditae lectionis. ideoque locum producit ex Ciri Virgiliana, flagitioſiſſime corruptum, quod tamen ipſe videri vult haud quaquam ignoraſſe:

Hinc magno generata Jovi frigidula ſacra.

oro te, mi Doctor Saturnie, (nam tu libelli auctor eras, non tantum praeſes) unde tibi in mentem venit, eandem vocem in eodem carmine & corripi potuiſſe & produci? an non legeras ſupra V. 251.

Frigidulam injecta circumdat veſte puellam?

an non V. 348.

Noctem illam ſic moeſta ſuper moerentis alumnae
Frigidulos cubito ſubnixa pependit ocellos.

etiam neſciebas quod *tabidulam* poëta dixerat, eadem forma minuendi, atque eodem tempore ſyllabae? V. 182.

Tabidulamque videt labi per viſcera mortem.

ſed tu iſtic ſecundam extendiſſes, pro tuo more. Et tamen Jodocus Badius Aſcenſius (qui vir ad tuam doctrinam opicam nimius nugator fuit) in ſua ecphraſi te docere poterat, contra naturam hic corripi antepenultimam in *frigidula.* Demus autem tibi tuam mirificam proſodiam: certe non negabis, agi de ſacro magico quod apparabat Carme. igitur tu nos docere debes, (nam potes) iſta ſive magica ſive Stygialia ſacra fuiſſe facta ſine igne: atque ob eam cauſam proprie vocari *frigida.* Deinde tibi oſtendendum erit, quid ſignificet τὸ *generata*, & quo tandem referri debeat. quod quidem nos, quae eſt noſtra *Alterum Plataeenſium* Beotitas, non ſatis clare ac diſtincte percipimus. Sed tu unum illud docere voluiſti, Jovem Latinis non modo *maximum*, ſed etiam *magnum* appellari. accipio, Magiſter, tuam expoſitionem. itaque exſpecto, ut quamprimum cum magno apparatu πολυμαθίας oſtendas nobis, ſacra magica, ſive infernalia, ſolere fieri Jovi Optimo Maximo: minime vero gentium vel Plutoni, vel Proſerpinae: utque nos doceas

 invi-

inviſitatus Palaemon, Jovem illum optimum Maximum eſſe eundem cum Jove Stygio, ſive Jove Nigro, quem Plutona indigetare ſolent mortales. nae tu nobis haud paulo apertiorem feceris Virgilium, poëtam tibi familiariſſimum, L.4. Aen.

Sacra Jovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque inponere curis.

Silium item Italicum L. 8.

Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant,
Atque atri ſociae thalami nova ſacra parabam;
Queis aegram mentem & trepidantia corda levaret
Infelix germana thori, nigraſque trahebam
Ipſa manu properans ad viſa pianda bidentes.

itaque non erat tam rejicula Herois Scaligeri correctio,

Hinc magico venerata Jovi Stygialia ſacra,

ut tuus iſte jejunus atque aridulus Jenſiaſter debuerit cum tanto faſtu exclamare: *quae enim aures* Stygialia *ferant? qui oculi? Nulli omnino.* Scilicet, iſtuc felicitatis ventum eſt; idque tua, Magiſter, opera potiſſimum; ut infruniti adoleſcentuli, omnium rerum tam inopes quam imperiti, ſolaque calumniandi libidine fortes, ipſum quoque Scaligerum in ordinem cogant. a quo nempe *illud humaniorum literarum lumen, Leidae olim accenſum, ibi adhucdum tanquam Perpetuus ille in penetrali Veſtae ignis, viget, ac poſt tot annorum decurſum non modo nihil vigoris ſui amiſit, ſed magis coruſcat & ſplendeſcit.* ita pergite mei adoleſcentes, ſpes patriae, ſeminarium Eccleſiae, ita pergite. ſed nos de diverticulo in viam. optime ferri poterat emendatio Scaligeri; quatenus quidem ſolo ingenio res gerebatur, & ſequendus erat ductus literarum in lectione omnimodis corrupta. quam tamen veram nobis ſartamque atque illibatam conſervaverat editio princeps.

Junonii Stygiae facit ordo [illegible] ſacra.

Hanc tu, Magiſter, ſi fortaſſe nunquam oculis uſurpaſti tuis; at profecto credere te par fuerat iis, qui id pridem monere te pote-

poterant: nempe Jacobo Nicolao Loënſi L. 8. Epiphyll. miſcell. C. 27. & Caſpari Barthio Animadv. ad L. 4. Thebaïd. Statii V. 414. inſpice nunc mecum, o criticorum alpha, totum locum, ut poſſis liquido ſtatuere de quo genere ſacrorum agat poëta.

At nutrix patula componens ſulfura teſta,
Narciſſum caſtamque herbas incendit olentes:
Terque novena ligat triplici diverſa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit, deſpue, virgo.
Deſpue ter, virgo: numero deus inpare gaudet.
Junoni Stygiae facit inde Hecateïa ſacra,
Sacra nec Idaeis anibus, nec cognita Grajis.
Pergit, Amyclaeo ſpargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.

quam pulchre haec faciant ad Jovem *magnum*, ſive *Opt. max.* nemo opinor non videt. Quae ſi neſciviſti: turpe id erit veterano ac plus quam viginti ſtipendiorum tribuno. Si vero ſciebas: multo etiam magis turpe eſt, ita labiis a te ductari miſeram juventutem. Utcunque erat: quid attinuit veterem errorem aliis aliquot novis cumulare ſub nomine mutuatitio phrenetici adoleſcentis? cujus tu ventoſum caput magno praeterea ſcelere obligaviſti, duntaxat ut tuae ipſius cauſae inſervires. Tu nimirum, bono fato datus nobis,

Maximus ille es
Solus qui Romae Romanam reſtitues rem.

Profecto, quotiescunque bonas horas male collocare libuit in tuis libris, ipſamque dictionem propius arbitrari, toties mihi ſuccurrit illud non invenuſtum neſcio cujus epigrammation:

Edis & illuſtras Ciceronem, docte Gronovi,
Linguae Latinae principem:
Quem niſi miſiſſes dias in luminis oras,
Quis crederet lectum tibi?

adeo ubique corruptae orationis tuae aſper concurſus aures ferit, ut ruentium ſaxorum fragor, aut ſtrepitus quadriga-

 rum

rum tranſcurrentium. Quantum vero voluptatis adferunt iſtae tuae ambiguae vocabulorum ſignificationes, verba transverſa, abruptae ſententiae, ſtructura ſalebroſa, audaciſſima tranſlatio & nunquam felix, atque intercifi de induſtria numeri? Sane omnis tuus ſtylus eſt tanquam daniſtae alicujus taberna, cui ſunt ad quoddam tempus diverſorum hominum bona oppignerata. nam ibi & lacernae, & braccae, & paenulae, & multorum ſaepe pallia ſuſpenſa internoſcuntur. Et hoc vocant ſtolidi homines *docte ſcribere*, ubi merum eſt frigus, & caligo denſa ultra omnem Africitatem. Sapuit, meo quidem animo, quisquis fuit ille, qui nos uſum docuit tuorum librorum.

Simplex Euagoras, quoties ita flagitat alvus,
Utitur obſcuris Gronovii foliis.
Nempe illud verum eſt PliNI: nullus liber unquam
Tam malus eſt, aliqua quin bonus eſſe queat.

HAEC & talia plura in iſta maledictiſſima epiſtola poſuit ille malus cacodaemon anonymus. quem ego credo firmiter, eſſe ipſummet perſonalem antichriſtum: ſiquidem ſcriptum legitur in revelationibus S. Brigittae, quod antichriſtus circa annum 1696 debet comparere in partibus Hollandiae Auſtralis, & facere ibi bibere equos ſuos de flumine Merva. & quis alius, niſi antichriſtus, auderet ita blaſphematorie mentiri per ſuam gulam? quoniam mendacium eſt certiſſimum gnoriſma talis mali angeli. quis alius auderet tam ſceleſte inſultare Viro conſummatiſſimo? tam nefarie tractare hominem eloquentiſſimum?

Quo major Graecus, major non eſtque Latinus:
Major & Hebraicus forſan in orbe nec eſt.

Videtis, mi cordialiſſime D. Gronovi, quid intendat iſte ſine nomine certo anonymus diabolus? (& hoc non fruſtra dico: quia omnes paulo honeſtiores diaboli habent ſuum proprium nomen, per quod internoſcuntur ab invicem. ſicut videre eſt in libris Trithemii & Agrippae) vult perſuadere gentibus ignaris, quod vos ipſe eſtis autbor illius epiſtolae rabioſae: & quod vos animi tantum gratia ſumpſiſtis nomen veſtri ſervitoris ac diſcipuli *Gerrit Havercamp*. profecto, mi Clariſſime, (quod tamen inter

ter nos duos maneat) ſunt multa quae huc ducnnt: & vidi hominem qui palam jactaret, quod Vos eſtis veritabilis pater hujus Muſiciſſimi foetus. (1.) propter Gronovianiſmos qui regnant in toto ſcripto, ita quod vos ipſe non poteratis ſcribere magis Gronovianiſtice. (2.) quod pater putativus citat libros veteres: cum tamen conſtet quod ipſe eſt unus pauper ſocius qui non ſcit quid ſint libri veteres. (3.) quod in ipſo limine videmini oblitus eſſe veſtrae propriae perſonae, quando ſcribitis: *Juſtiores equidem, & minus acerbos ac paene etiam amicos videbar mihi habere Petrullianos*,&c. nam quomodo haec poſſe dici aut interpretari de adoleſcentulo adeo ignobili atque ignorabili, ut ejus nomen nunquam fando fuerit auditum ab ullo Petrulliano? tam ſecurum ac tutum eum praeſtabat ſua obſcuritas. (4.) quia bonus cuculus expreſſiſſimis verbis clare ac diſtincte confitetur, quod ipſe non eſt author iſtius epiſtolae: ſcribendo ad parentes ſuos in dato 13 Martii 1696. & loquendo de D..... Medico male audiente: *Indien hy, gelyk hy dreigt (hoewel hy niet veel vermag) my zwart zoekt te maken; hy zal zekerlyk qualyk doen, dewyl ik dien Heer nergens genoemt heb: en indien hy zulx uit eenige woorden zoude meenen te kunnen afnemen, de zelve uit myn brein niet zyn gekomen.* tum deinde loquitur junctim de vobis, mi Clariſſime, ac de ſe ipſo; dicendo ſic: *Dezen brief kunt gy l. aan Hem voor een herroepen van 't gezeide doen verſtrekken; want in 't publicq daer van niet vallen zal, voor dat hy* ONS *den man aenwyſt.* an vultis ſcire, quis ſit iſte ONS? in principio hujus literae miſſivae ſic ſtat ſcriptum: *Echter om V. E. in uwe ongeruſtheit niet te laten, belaſte my* Gronovius, *V. E. uit zyn naam van alles goeds te verzekeren.* (5) infelix divinatio circa meam perſonam, qui ſum J.C. minime autem Medicus: neque D.... ſed *Rutgerus Hermannides* vocor. Nam infeliciter divinare in rebus criticis, vobis, mi Domine, proprium eſt in quarto modo. (6.) rabies ſtyli; quae eſt tanta ut vos ipſi non poſſetis intemperantius furere, etiamſi deberetis ſcribere contra Iſaacum Voſſium, aut Raphaëlem Fabrettum. (7.) argumenta quae producuntur ad ſtabiliendum τὸ *frigidula*; in quibus magnus Scaliger tam contemtim habetur, quam ſolet haberi a vobis paſſim in veſtris lectionibus conchaticis. (8.) quod vos

 ipſe,

ipſe, mi Domine, ſcripſiſtis cum veſtris propriis digitis ad veterem *Signor* H........ ne vellet ſe ullo modo cruciare ſuper mentionata epiſtola: nullum inde periculum poſſe creari filio ſuo. Neque enim quenquam mortalem inventum iri in *illa ſancta atque erudita Amſtelodamo*, qui locum Virgilii quaeſtionatum poſſet vel aptius corrigere, vel concinnius explicare. Si Medicus D.... ſuccenſet, quod ſit dictus *male audiens*; in ea re deſtitui eum omni bona ratione. poſſe enim vos in eadem urbe facile oſtendere atque adeo digito deſignare centum *male videntes* pro uno *male audiente*. Si conqueritur dictus Medicus D.... quod fuerit appellatus iſtic *Boeotus*: id fore non minus ridiculum, quoniam plena eſt *Boeotorum* atque omni ex parte referta *Amſtelodamum ille nidus calumniarum*. denique vobis longe mirabiliſſimum videri, quod praelibatus Medicus D.... tam eſſet impatiens adverſus injurias, quae ipſi charitative inferuntur; praeſertim cum jam aliquot annos fuerit conſtitutus in munere difficili, & debuerit pridem occalluiſſe adverſus ictus tam minutos, quique in hoc ſolum ipſi pie infliguntur ut diſcat ſua noſſe mala. in tanta ſoliditate ratiociniorum veſtrorum, mi Celeberrime, ſtatim acquieviſſe veterem *Signorem*, ſecurum de bona reputatione ſurgentis Iuli, deque triumphali ipſius introitu in arcem Sapientiae, ubi ſit poſiturus in gremium Jovis Grunnientis ſanguineam laurum de exercitu infidelium Petrullianorum occidione deleta. expectari in eam rem epinicion inſigne novi cujuſdam poëtae; qui tamen hactenus propter ſonticas cauſas delituerit domi, ac prudenter litaverit Angeronae, &c. Et talia quidem iſti invidi ribaldi. Ego vero credidi, mi Domine, quod erat mei officii vos certiorare de intentione hominum malevolorum: ut, ſi fortaſſe velletis compilare unum alterum dictamen rectae rationis epiſtolariter ſcriptum, non committeretis veſtra ſecreta huic calidulo adoleſcentulo, qui non videtur ſatis cauteloſus pro bono veſtri intereſſe. Nam ego dicam vobis unum novum exemplum, quod vos debet facere prudentiorem. C..... K....... nuper ad unum ſuum bonum amicum miſit epiſtolam ſuper his ipſis negotiis, quae nunc ſunt in quaeſtione. Eam oſtendit iſte amicus Havercampio: is porro vobis tradidit, mi Domine. Vos autem ambo, per laſciviam inſignem, eam ople-

pleviſtis notis MSS. valde fatuis, valde feroculis, & valde Ulenſpigelianis, veſtra (quis credat?) propria manu exaratis; atque ita remiſiſtis. Et nunc iſta epiſtola (quod eſt admodum glorioſum pro homine Profeſſore: nam de Havercampiade minor curatio eſt.) ambulat per manus omnium curioſorum. utinam, mi Domine, habuiſſetis pro tunc unum bonum intervallum dilucidum veſtrae ſapientiae! nam & ſapientiae quidam morbus eſt; ut vos bene ſcitis ex Plinio veſtro, & multoties expertus eſtis in propria perſona. Nunc iſti mali truffatores volunt facere imprimi praedictam epiſtolam, cum notis ſelectiſſimis (ita jocantur ſacrilegiter) variorum, accurante C...... K...... Spero quod non facient, mi bone Domine: nam alioqui vos iſtic ſtabitis cum omni veſtra claritudine & diaphaneitate tanquam unus Marcolphus, qui cacavit in nive hyemeſtri. Addunt, quod nuper factum eſt unum inſtrumentum Notariale inter vos & Praeſtantiſſimum D. Jenſium: quod nimirum praelibatus Jenſius debebit vos inſtruere per tempus competens in proſodia Voſſii, adjunctis exemplis Smetianis; & quod deinde obligatur vobis explicare libellum Georgii Sabini *de carminibus artificioſe & ad veterum imitationem componendis*, una cum expoſitione locorum principaliſſimorum ex Flavillis poëticis Baccherii. Sed alii tenent quod ſunt merae calumniae, & pura puta mendacia. Cum quibus ego etiam teneo, aſſecurando vos, mi Domine animitus ac medullitus dilectiſſime, quod ego ſtabo ſemper in armis pranſus paratus pro veſtra reputatione contra genimina viperea omnium Petrullianorum. quales ſunt Eraſmus Regius, atque iſte diabolus anonymus. imo ego jam incepi conſcribillare unum laborioſum librum ſuper omnibus veſtris Orationibus, (quas faciam imprimi ſimul in uno corpore) in quo libro metaphraſtice ego ac paraphraſtice oſtendam totum veſtrum artificium oratorium, in oeconomia, in diſpoſitione, in tranſitionibus, in ſchematibus, figuris, ac tropis, &c. qualiter fecit in Cicerone Joannes Thomas Freigius. Et erit opus valde proficuum omnibus artis oratoriae ſtudioſis, ſi qui volent poſthac componere lauros Hybernicas, vel memorias Namurcenſes, aut ſerenitates hyemales. Praemittetur *Diſquiſitio hiſtoricophilologicocritica de originibus eloquentiae Gronovianae*. Ecce mi cariſſime Domine,

Liben-

Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuae ſpem gratiae.

atque ita impono ſat bonam, ut opinor, clauſulam huic meae querelae ſimul ac defenſioni: ſi tamen prius intonavero unum bellum Sonettum valde amicabiliter reboantem. qui taliter eſt:

Regins in vanum mala carmina fecit Eraſmus
Culpandum Dominum Rutgerum, quando beate
Scripta Gronoviadae celebrat cum fertilitate.
Nec tamen huic, oro, ſit pro mercede tenaſmus.
*Barbarus * Annonymus neſcivit quod pleonaſmus*
Cara figura mihi eſt; quod ſcribo cum gravitate,
Omnibus & doctis reſonant mea carmina grate.
Illum diſtendat natitantem in flumine ſpaſmus.
Vos autem, pueri, colitis qui Palladis artes
Lugduno in magna, noſtras defendite partes,
Si veterum foetus ſcriptorum volvitis ullos.
Sic & veſtra egomet defendam carmina fautor,
Ille ego Rutgerus non aſpernabilis author,
Contra mordentes Momos contraque Petrullos.

* Litera *n* geminatur propter metrum. quomodo dicimus *Senneca*, quando verſus ita poſtulat.

Darauff ſi·ig ich ins bette ſtracks:
Eine gute nacht wundſcht dir Hanns Sachſs.

1056.5
99959755

[illegible]

Digitized by Google